Vlis

Disp
criti
Ezr
dro
vulg
dicto

Vlis, van der

Disputatio critica de Ezrae libro apocrypho vulgo quarto dicto

DISPUTATIO CRITICA

DE

EZRAE LIBRO APOCRYPHO VULGO QUARTO DICTO.

DISPUTATIO CRITICA

DE

EZRAE LIBRO APOCRYPHO VULGO QUARTO DICTO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

Cornelii Pruijs van der Hoeven,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

Christianus Jacobus van der Vlis,

ULTRAJECTINUS.

AD DIEM XXVIII JUNII MDCCCXXXIX, HORA

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD J. MÜLLER.

MDCCCXXXIX.

TYPIS C. A. SPIN.

VIRO ILLUSTRISSIMO

A. VAN GENNEP,

REGI A CONSILIIS, ALIISQUE MUNERIBUS HONORIFICENTISSIMIS FUNCTO,
SOCIETATIS BIBLICAE

PRAESIDI,

CETERISQUE EIUSDEM SOCIETATIS

GUBERNATORIBUS,

VIRIS AMPLISSIMIS

S. P. D.

C. J. VAN DER VLIS.

Suavissimum mihi officium est, Vobis, Viri Amplissimi! quibus me pluribus nominibus obstrictum sentio, gratum animum testificandi. Vestra enim erga me benevolentia illud mihi munus detulit, quod inprimis honorificentissimum duco, ut in Javâ insulâ inter huius indigenas, ipsorum linguam addiscerem, eiusque scientiam conferrem ad Sacrum nostrum Codicem Javanice interpretandum. Non enim latebat Vos, quanto flagrarem amore literarum Orientalium, unde futurum sperabatis, ut, quo magis in his profecissem, eo melius utilissimae Vestrae Societatis instituto prodesse possem.

Et illius quidem amoris sensum aluit ab initio egre-

gia Groenewoudii Viri Cl. Professoris Ultrajectini disciplina, in quam quum traditus essem, incredibiliter hic studium meum dialectorum Semiticarum adjuvit tum institutione, tum consiliis. Easdem intelligendis libris sacris aliquando adhibere cupientem confirmavit praeclara institutio Virorum Cll. Heringae, Boumanni, Rooijaardsii. Sed praeter Theologiam, cuius sane disciplina ex Oriente universa pendet, quum Asiatici populi digni viderentur quorum indolem, ingenium, artes, literas, omnino historiam propter ipsos cognoscerem, excitassentque me saluberrima praecepta Heusdii, Viri Cl. in huius scholis historicis, istorum denique cognitionem ex fontibus petendam censerem, non mirabimini, Viri Amplissimi! hanc sitim in summâ docentium et doctrinâ et erga me amore Ultrajecti exstingui non potuisse. Igitur post confectum Theologiae curriculum, Leidam me habitatum contuli, abundantem subsidiis librorum, omnique studiorum instrumento. Ibi autem nescio, an nihil profecissem, neque me vel cupidissimum discendi obruisset ipsa copia, nisi praeceptor contigisset plane singularis Weijersius, Vir Cl. Hunc praeterea audivi Hamasae carmina, Bidpai fabulas, Bar-Hebraei historias explicantem. Quodsi non obiter ac strictim libros attingere, quaeque scripta videantur, ad praeceptam quandam animo opinionem cogere, sed singula verba inspicere, cuiusvis dictionis naturam ac rationem ad severissimam Grammaticae regulam exigere, quid scriptor dicere non potuerit rejicere, quid debuerit dijudicare, adhibitis Criticae legibus, cer-

tissimâque universae disciplinae ratione — si hoc demum rite appellatur interpretari, *nescio, quibus verbis Weijersii scholas admirari debeam. Quarum laudem ut praedicatio juvenem minus decet, grati Weijersius animi modestam significationem haud aspernabitur: nam insigne eius mei studium in ipso hoc instituto opusculo, quod Vobis offero, juvando et ornando apparuit: cuius tum scribendi mihi primus auctor exstiterat Roorda, Vir Cl. Athenaei Amstelodamensis ornamentum.*

Verbosius fortasse, Viri Amplissimi! hoc de me deque studiis meis exposui. Horum autem rationem ut redderem, jure a me petere posse Vos videbamini, quorum insigni liberalitate factum esset, ut non solum Leidae, tanquam fundamenta ponerem futuro munere rite fungendi, sed Amstelodami per aliquod tempus, quum Roordae privatâ institutione et consiliis uterer, tum à Gerickio, viro praestantissimo, prima linguae Javanicae elementa perciperem. Utrique me obstrictum toto pectore sentio. Ille Weijersii aequalis et amicus et in pari studiorum cursu iisdem laudibus excellens, quidquid erat in me vel facultatis vel voluntatis, confirmavit; hic de commodis coloniae Javanensis deque religione Christianâ propagandâ immortaliter meritus, rebusque gravissimis intentus, eo tamen descendit, ut rudem plane istarum literarum primis elementis me imbueret. Nunc tanti viri amicitiâ, quâ me complectitur, glorior, nec dubium est, quin si quando non indignus suscepti operis adjutor evadam, ad hunc maxima laudis pars sit redundatura.

Non requiretis a me, Viri Amplissimi! ut multa scribam de munere, quod mihi imponitis, deque optimâ ratione eius explendi. Prudentim enim haud dubie a me reticeri arbitramini, quae nondum certâ cognitione et diuturnâ experientiâ maturuerint. Contenti eritis, ut spero, si dixero, eam esse suscipiendi laboris opinionem meam, eamque perficiendi voluntatem, quam si factis aequare potuero, collati in me beneficii vos nunquam poenitebit.

Relinquenda mihi patria est, cuius peregrinationis necessitas nunc quidem temperat quodammodo justam animi laetitiam: carendum enim erit eorum consuetudine et caritate, quibus quantum debeam, ne in remotissimo quidem Asiae angulo non recordabor. Erigit me tamen spes fausti reditûs, futurumque ut Vestra in primis comprobatio studii mei ac diligentiae omnem molestiarum in periculoso itinere suspectarum memoriam deleat.

Valete Viri Amplissimi! ac rebus prosperis fruimini.

Dabam Lugduni Batavorum.
mens. Jun.

INTROITUS.

Ab antiquis inde temporibus multi fuerunt Viri docti, qui vilipenderent Ezrae librum in Versione Latinâ *quartum* dictum; quo factum ut paucissimi tantum fuerint, qui illum explicatione dignum censerent (1). Non mirum idcirco, plurimos fore, disputationis nostrae argumentum considerantes, quibus illud tanto labore, quantum ei impendimus, indignum videatur. Ast, quaeso, ne ita judicetis, Lectores, antequam ipsum Ezrae librum accuratius cognoveritis, nec illum, tanquam jejunum opusculum, continuo de manu ponatis. Et gaudeo maxime, nos eo vivere tempore, quo talia Scripta, quale noster est liber, accuratius investigantur: quo fit, ut multi jam non amplius cum contemtu eum despiciant. Causa autem, ob quam liber noster, Ezrae auctori adscriptus, vulgo plurimis sorduerit, unice quaerenda mihi videtur in eo, quod ad nostra usque tempora huius libri non nisi Versio Latina cognita fuerit, cuius textus adeo est corruptus, ut pluribus in locis sensum verbo-

(1) Vide quae hac de re, ut et de iis, qui hunc librum explicuerunt, monuerunt, FABRICIUS in *Cod. Apocryph. V. T.* Vol. II. p.174-192, et LÜCKE, *Versuch einer vollständ. Einleit. in die Offenbar. Johannis* (Bonn 1832) p. 101 annot. 1.

rum vix divinare possis: eademque etiam Versio olim haud parum attulisse videtur ad confirmandam opinionem, auctorem huius libri christianum seculo demum primo ad finem vergente vel ineunte seculo secundo p. C. n. vixisse; quae quidem sententia haud parum attulit ad libri pretium diminuendum.

Verum anno huius seculi vicesimo in Anglia prodiit Aethiopica Versio eiusdem libri, quae Versioni Latinae multo est praeferenda, quippe archetypum textum accuratius referens, quaeque adeo egregium auxilium praebet in dijudicando pretio, libro nostro assignando.

Idcirco jam duae exstant Versiones antiquae eiusdem libri: adest etiam tertia, Arabica, sed de hac judicium ferre nobis non licet, quandoquidem eâ uti non potuimus, quippe adhuc ineditâ. Sim. Ockleius quidem huius Anglicam Versionem dedit, quae prodiit in Tom. IV°. Operis WHISTONII, *Primitive Christianity revived* (London 1711. 8°). Sed ne hanc quidem comparare nobis potuimus. De Versione igitur Arabicâ nihil aliud monere nobis conceditur, nisi quod cognovimus ex iis, quae de eâdem annotarunt FABRICIUS in *Cod. Pseud V. T.* Vol. II. p. 192 sqq. et LAURENCIUS in collatione Versionis vulgatae, additâ editioni Versionis Aethiopicae p. 170 sqq. E quibus didicimus, Arabicam Versionem pluribus in locis *παράφρασιν* potius quam Versionem esse dicendam. Ast vel sic tamen saepissime egregium auxilium praebet ad veram lectionem inveniendam et comprobandam; sicuti manifestum erit ex iis locis, in quibus huius Versionis auctoritatem invocavimus ad emendandam Versionem Latinam et Aethiopicam. Ceterum animadvertendum est, duos huius Versionis Arabicae Codices inveniri in Bibliotheca Bodlejana, quorum

primum Cl. A. NICOLL in *Bibliothecae Bodlejanae Codd. MSS. Orient. Catalogi* Part. II. Vol. I. (Oxon. 1821) p. 11 sic descripsit (N. III. 21°): »Compendium »libri *Ezrae* prophetae اختصار كتاب عزرا النبى. Li-»ber hic in calce vocatur Ezrae primus idemque est, qui »Ezrae vel Esdrae Apocryphus secundus et vulgo quar-»tus appellatur. Incipit cum Ezrae Visione in Capite III. »exposita et in Cap. XIV. desinit fol. 136." Alterum autem l. l. p. 13 (N. VI. 1°) sic pluribus delineavit: »Volumen »primum libri Ezrae scribae τοῦ νόμου sive legis peri-»ti (1) السفر الاول من كتاب عزره كاتب الناموس. »Liber est Apocryphus Ezrae vel Esdrae secundus, qui »et Ezrae quartus vocatur. Versio haec Arabica inte-»grum illum librum non complectitur, a capite enim »eius tertio incipit et in fine Capitis decimi quarti de-»sinit (2). Incipit liber ad hunc modum: لمّا كان في

(1) Male sic interpretatus est Nicollius verba كاتب الناموس: verte ad literam *scriptoris legis*, id est qui legem (nempe Cod. Sacr.) scripto mandavit. Notissima enim est recentiorum Judaeorum opinio, Ezram Libros Sacros post Capt. Bab. amissos de novo scripto mandasse; vide etiam nostrum librum Ezrae XIV: 49 sqq. ex Vers. Aeth. coll. XIV: 44 sqq. V. Lat.

(2) Putavit igitur Nicollius, Cap. I et II atque XV et XVI ab ipso Ezrae libri auctore esse confecta, sed vide quae de his infra monuimus. Idem Vir Cl. hanc etiam annotationem dedit l. l. »Ex ipso »hoc Codice Versionem Anglicam huius libri a Simone Ockleio confe-»ctam una cum Versione Vulgari ut earum diversitas innotesceret edidit »G. WHISTONUS: vide eius *Primitive Christianity revived*, Vol. IV. Lon-»don 1711, et FR. LEE, *An Epistolary discourse concerning the books »of Ezra.* Lond. 1722. Hunc librum Ezrae in Cod. (fol. 57 Verso) »subsequitur librarii epigraphe, quae etiam ab Ockleio Anglice reddita »est. نجز السفر الاوّل من كتاب عزره كاتب الناموس

سنة ثلثين من خراب مدينة ايروشليم وكنت انا عزره المسمى شالاثيال مقيما ببابل انا راقد على مضجعى وانا انوح وجالت الافكار فى قلبى عند ما رايت خراب صهيون والخصب واليسار الذى البابليون فيه فقلقت نفسى جدّا وابتدات اتكلّم مع العلىّ بكلام مُخَوَّف قايلا هكذا ايّها الربّ أَلَيْسَ انت قلت منذ الابتدا فكان عند ما خلقت الارض وابدعتها بكلمتك خاصّه واخذت من الارض جسما بغير حركة فجبلته بيديك ونفخت فيه روح حياة وصار حيا امامك —

»Postquam inceperat annus tricesimus ruinae urbis »Jerusalem, habitabam ego Ezra, dictus Schalatial, »Babylone, dormiens in lecto, et lamentatus sum, cir- »cumeuntibus cogitationibus in corde meo, propter quod »viderem devastationem Sihionis, atque res prosperas »opulentiamque in qua versabantur Babylonii, et valde »inquietus fuit animus meus, atque incepi colloqui cum »Altissimo verbis metu perculsis, sic loquens: o Domi- »ne, nonne tu dixisti inde ab initio, quum creares ter- »ram eamque de nihilo produceres verbo tuo, solus »hoc (faciens), et de terra sumeres corpus sine motu et

---

ويتلوه الكتاب الثاني والشكر لواهب الفهم دايما الى الابد وكان نجازه نهار يوم الاثنين سابع عشر شهر برمهات سنة الف احد وخمسين الشهدا الاطهار يا ربّ سامح الخاطى الناسخ وساير بنى المعمودية

»Absolutus est liber primus Ezrae legis periti, quem proxime sequitur »secundus. Gratiae sint intellectus largitori in aeternum. Absolutus »est die Lunae, 17° mensis Barmahat anno martyrum sanctorum 1051 »(C. 1325). Condona (peccata) peccatori scribae omnibusque bapti- »smi filiis."

»praegnans factum fuit e manu tua et inflasti in illud »spiritum vitae et factum est vivens coram te.”

Hucusque unice memoravi Versiones: atque utinam initium facere potuissem ab ipso textu archetypo, sed, proh dolor! periit ille, certe nunquam editus est, nec ulla cognita est Bibliotheca, in qua lateat. Suspicatus sum in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi eum adhuc adesse, meaque suspicione communicatâ cum Cl. Weijersio, hic continuo literas misit ad Nobilissimum Mac-Guckin de Slane, literarum Orientalium in Francia decus; qui mox respondit, talem Codicem Graecum, in quo inveniatur *ἀποκάλυψις Ἐσδρὰμ*, omnino adesse. Jam adii Cl. Geelium, eique rem illam narravi; hic pro summâ, quâ me amplecti solet, benivolentiâ, literas misit ad Cl. Hase, Bibliothecae Regiae Parisiensis Praefectum, qui paulo post certiorem me fecit de ipso Codice Graeco, qui inter Codices Graecos Regios occurrit n°. 929, et in cuius p. 510—532 habetur *Ἀποκάλυψις* illa *Ἐσδρὰμ*. Addidit simul idem Vir egregius initium et finem huius libelli, ut ex iis dijudicarem, utrum Graecus ille textus idem esset, qui in Versionibus est redditus; sed spes me fefellit, illudque mihi eo durius accidit, quod accuratissimum *ἀπὸγραφον* exspectare potueram, nam idem Vir Cl., raro benivolentiae exemplo, ipsum se descripturum esse Codicem Graecum promisit, si is videretur eundem librum continere, quem exspectabam: Codicem enim tam male esse conservatum, ut de accurato *ἀπογράφῳ* valde esset dubitandum, si illud mercenariis hominibus confideretur. Pro tantâ ergo benivolentiâ, quam maximam certe partem debeo amicitiae, quâ Cl. Geelius me dignari haud recusat, non possum, quin maximas gratias agam Cl. Hasio.

Ut autem quisque scire possit, qualis tandem sit libellus ille Graecus, *Ἀποκάλυψις Ἐσδράμ* dictus, neque porro suspicentur homines, Codicem illum Graecum archetypum esse textum libri Ezrae, in Vers. Lat. quarti dicti, addam ea, quae Cl. Hasius ad me descripta transmisit. Titulus huius libelli est: *Λόγος καὶ ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου προφήτου ἐσδρὰμ καὶ ἀγαπητοῦ τοῦ Θεοῦ — Εὐλόγησον, πάτερ.* Ita incipit: *Ἐγένετο ἐν τῷ τριακοστῷ ἔτει, δευτέρῃ καὶ ἰκάδῃ* [sic] *τοῦ μη....* (1) *ἐν τῷ οἴκῳ μου, καὶ κράξας λέγων πρὸς τὸν Ὕψιστον· Κύριε δὸς τὴν δόξαν, ἵνα δῶ* (2) *τὰ μυστήριά σου* [pag. 511] *καὶ νυκτὸς γεναμένης* [sic] *ἦλθεν ἄγγελος Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος καὶ λέγει μοι ἄρτι τὸν προφήτην Ἐσδρὰμ ἄφησον ἑβδομήκοντα* (3) .... *καὶ ἐνήστευσα* (4) *καθὼς εἶπέ μοι. Καὶ ἦλθε Ῥαφαὴλ ὁ ἀρχιστράτηγος, καὶ ἔδωκέ μοι ῥαύδον στηράκην* (5) *καὶ ἐνήστευσα δὶς ἑξήκοντα ἑβδομάδας, καὶ εἶδον τὰ μυστήρια τοῦ Θεοῦ καὶ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ. Καὶ εἶπον πρὸς αὐτούς· Θέλω δικάσασθαι τὸν θεὸν περὶ τὸ γένος τῶν χριστιανῶν· καλὸν μὴ γεννηθῆναι τὸν ἄνθρωπον ἢ εἰσελθεῖν* (6) *ἐν τῷ κόσμῳ. Ἀνελήφθην οὖν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ εἶδον ἐν τῷ πρώτῳ οὐρανῷ στρατηγίαν ἀγγέλων μεγάλην, καὶ ἀπήγαγόν με εἰς τὰς κρίσεις. Καὶ ἤκουσα* (7) *φωνῆς λεγόυσης με. Ἐλέησον ἡμᾶς, ἐκλεκτὰ τοῦ θεοῦ Ἐσδράμ. Τότε ἠρξάμην λέγειν. Οὐαὶ τοὺς ἁμαρτωλοὺς, ὅταν ἴσωσι τὸν δίκαιον*

---

(1) Cl. Hase in epistolâ addidit: »ici 6 ou 7 lettres rongées, le dernier mot, encore assez reconnaissable, est certainement *μη* (*νος*) puis le nom du mois.”

(2) Probabiliter leg. *ἴδω*.

(3) In Cod. *εὐδομηκοντα*. Deest insuper h. l. substantivum.

(4) In Cod. *ἐνηστευσαν*.

(5) *στυρακίνην*?

(6) In Cod. *ἠσελθεῖν*.

(7) In Cod. *ἤκουσαν*.

ὑπὲρ ἀγγὲ [p. 512] *λων, καὶ αὐτόι* (1) *εἰσιν εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. Καὶ εἶπεν Εσδράμ· Ελέησον τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, εὔσπλαγχνε καὶ πολυέλεε· ἐμὲ κρίνον ὑπὲρ τῶν ψυχῶν τῶν ἁμαρτωλῶν. συμφέρει γὰρ μίαν ψυχὴν κολάσασθαι καὶ μὴ ὅλον τὸν κόσμον εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν. Καὶ εἶπεν ὁ Θεός. Ἐγὼ τοὺς δικαίους ἀναπαύσομαι ἐν τῷ παραδείσῳ, καὶ ἐλεήμων καθέστηκα. Καὶ εἶπεν Ἐσδράμ. Κύριε τοὺς δικαίους τί χαρίζεις; ὥσπερ γὰρ μίσθιος ἐξυπηρετησάμενος τὸν χρόνον αὐτοῦ καὶ πορεύεται, καὶ πάλιν δοῦλος δουλεύσει τοῖς Κυρίοις αὐτοῦ ἐπιτυχεῖν* (?) *οὕτω καὶ ὁ δίκαιος ἀπέλαβε τὸν μισθὸν αὐτοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ἀλλα τοῦς ἁμαρτωλοὺς ἐλέησον· οἴδαμεν γὰρ ὅτι ἐλεήμων εἶ· Καὶ εἶπεν ὁ Θεός· οὐκ ἔχω πῶς αὐτοὺς ἐλεήσω· Καὶ εἶπεν Ἐσδράμ· ὅτι τὴν ὀργήν σου οὐχ ὑ-* [p. 513] *ποφέρουσι· Καὶ εἶπεν ὁ Θέος· ὅτι τῶν τοιούτων ταῦτα κ. τ. λ.*

Finis autem libelli illius sic se habet: [p. 530] *Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ θεός· Ἄκουσον Ἐσδρὰμ, ἀγαπητέ μου· ἐγω ἀθάνατος ὢν σταυρὸν κατεδεξάμην, ὄξος καὶ χολὴν ἐγευσάμην, ἐν τάφῳ κατιτάθην καὶ τοὺς ἐκλεκτούς μου ἀνέστησα. Τὸν Ἀδὰμ ἐκ τοῦ ᾅδου ἀνεκαλεσάμην, ἵνα τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος.* (2) .... *Μὴ οὖν φοβηθῆς τὸν θάνατον. Τὸ γὰρ ἐξ ἐμοῦ, ἤ γουν ἡ ψυχὴ, ἀπέρχεται εἰς τὸν οὐρανόν· τὸ δὲ ἐκ τῆς γῆς, ἤ γουν τὸ σῶμα, ἀπέρχεται εἰς τὴν γῆν, ἐξ ἧς ἐλήφθη. Καὶ εἶπεν ὁ προφήτης· οἴμοι, οἴμοι· τί ποιήσω; τί πράξω; οὐκ οἶδα. καὶ τότε ἤρξατο λέγειν ὁ μακάριος Ἐσδράμ. ὁ θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ πάσης τῆς*

---

(1) In Cod. *αὐτῇ.*

(2) Ad hunc locum Cl. Hase animadvertit: » La fin de la phrase manque, bien qu'il n'y ait pas indication de lacune."

κτίσεως δημιουργὸς, ὁ τὸν οὐρανὸν μετρήσας σπιθαμὴν καὶ τὴν γῆν [p. 531] *κατέχων δρακὴν* (sic) *ὁ εἰνίωχως* (1) *τὰ χερυβὶμ, ὁ* (2) *ἅρματι πυρίνῳ εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἄρας τὸν προφήτην Ἠλίαν, ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ, ὃν πάντα φρίσσει καὶ τρέμει ἀπο προσώπου δυνάμεως σου, ἐπάκουσόν μου τὸν πολλά σοι δικασάμενον, καὶ δὸς πᾶσι τοῖς μεταγράφουσι τὸ βιβλίον τοῦτο καὶ ἔχουσιν αὐτὸ καὶ μνημονεύουσι τοῦ ὀνόματός μου καὶ ἐπιτυχοῦσι τὴν μνήμην μου, δὸς αὐτοῖς εὐλογίαν οὐρανόθεν, καὶ εὐλόγησον αὐτοῦ* (?) *πάντα, ὥσπερ καὶ τὰ ἔσχατα τοῦ Ιωσήφ· Καὶ μὴ μνησθῇς ἀνομιῶν ἀρχαίων αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως αὐτοῦ. Ὅσοι δὲ μὴ πιστεύσαντες τὸ βιβλίον τοῦτο, κατακαυθήσονται ὡς τὰ Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα. καὶ ἦλθεν αὐτῷ φωνὴ λέγουσα· Ἐσδρὸμ, ἀγαπητέ μου, πάντα ὅσα αἰτίσω* (?) *ἀποδώσω ἑνὶ ἑκάστῳ. Καὶ εὐθέως παρέδωκε τὴν τιμίαν αὐτοῦ ψυ* [p. 532] *χὴν μετὰ μεγάλης τιμῆς, μηνὶ ὀκτωβρίῳ εἰς τὰς ιη· καὶ κηδεύσαντες αὐτὸν μετα θυμιαμάτων καὶ ψαλμῶν, τὸ τίμιον καὶ ἅγιον αὐτοῦ σῶμα νέμει ῥῶσιν ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀεννάως τοῖς προςτρέχουσιν αὐτῷ ἐκ πόθου. Ὧι πρέπει δόξα, κράτος, τιμὴ καὶ προσκύνησις τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.*

Ex hisce quisque facile intelliget, libellum illum Graecum, *Ἀποκάλυψιν Ἐσδρὰμ* dictum, plane aliud opus esse ac nostrum Ezrae librum apocryphum, quem igitur unicé cognoscere possumus e Versione Latinâ et Aethiopicâ.

---

(1) *ἡνίοχος? ἡνιοχῶν?* cf. Pseudo-Chrysostom. Opp. ed. Eton. T. VIII. p. 20. l. 7. de Elia: *τὸν χαμαὶ βαδίζοντα καὶ τὰ οὐράνια ἡνιοχοῦντα.* Hase.

(2) In Cod. *ὁ.*

Sed ut accurate cognoscatur, ante omnia opus est, ut utramque Versionem critice consideres, vitiis enim scatet. Quum autem nobis propositum esset, de libro hocce disputationem conscribere, initium fecimus a criticâ disquisitione de utrâque illâ Versione; ut sic demum de ipso libro certius ferre possemus judicium. Sponte igitur suâ disputatio nostra in tria Capita divisa est, in quorum primo Versionem Latinam critice consideravimus, et similiter Versionem Aethiopicam in Capite secundo: quo fit, ut in tertio tandem de libri argumento, auctore et aetate, sententiam proferamus.

CAPUT PRIMUM.

DE VERSIONE LATINA.

Cuique accurate textum Latinum consideranti continuo constabit, eum e Graeco fonte (1) fluxisse; quam tamen sententiam, vulgo pro verâ acceptam, nondum exemplis satis probatam vidimus. Idcirco operae pretium nobis visum est, h. l. nonnulla argumenta afferre pro hac opinione pervulgatâ. Primum saepius in hac Versione Genitivus usurpatur post comparativum, more Graecorum, pro Ablativo: cff. V. 13; VI. 31; XI. 4, 29; XII. 13, 45; XIV. 15. Deinde verbum *μέλλει*, quo Graeci futurum exprimere solent, interpres Latinus multis in locis reddidit per *incipiebat*, sequenti verbo in infinitivo posito, quae dicendi ratio, ut Graecis usitatissima, ita aliena est a Latinâ linguâ. Cff. IV. 18, 32; X. 52, 54; XI. 16; XII. 15, 21; XIII. 29, 37, 49; XIV. 25.

---

(1) Fuerunt, qui cogitarent, archetypum huius libri textum fuisse Hebraeum, sic Morinus olim et dein Bretschneiderus: sed vide quae dixerunt LAURENCIUS in ed. Vers. Aeth., *General Remarks* p. 301 sq. et LÜCKE in *Versuch einer vollständ. Einleitung in die Offenbar. Johannis*, p. 82 sq.

Porro, subinde etiam accidit, ut vocabulis Graecis nimis inhaerens interpres erraverit in generum usu; sic XI. 4 legitur *ipsa quiescebat* pro *ipsum quiescebat* nempe caput, sed in Graeco cod. legebatur *αὐτή* quia praecesserat *κεφαλή*: similiter XI. 30, ubi pro *completa sunt* cum Ms. Sangermanensi legendum est *complexa est*, foemininum genus usurpatum est pro neutro, quia in Cod. Gr. illud positum erat propter praecedentem vocem *κεφαλή*. XII. 3 est *ipsa non apparebant* pro *ipsae* nempe *alae;* sed Graece legebatur *αὐτα* quia praecesserat *πτέρα*; idemque vitium occurrit XIV. 39, ubi legitur *hoc erat plenum*, pro *hic erat plenus:* sed in Cod. Gr. neutrum genus usurpatum erat, quia praecesserat *ποτήριον*. Tum retinuit interdum constructionem verborum Graecam. Sic VI. 25 *ex omnibus istis, quibus praedixi tibi* ad literam respondet Graeco *ἐκ πάντων τουτῶν, ὧν προεῖπον σοι*: eandem constructionem vide in V. 39 *de his, quibus me interrogasti*. VI. 57 legitur *dominari nostri* et VII. 5 *dominari eius*, verba enim regnandi in lingua Graeca cum genitivo construuntur. XI. 42 *qui te non nocuerunt* pro *qui tibi non nocuerunt*, more Graeco. XII. 41 *peccavimus tibi*, nam verbum *ἁμαρτάνειν* subinde cum dativo construitur: cf. Jud. XI. 27; 1 Reg. XIV. 33; 2 Paralip. VI. 22. III. 27 *tradidisti — in manibus*, Graece *παρέδωκας — ἐν ταῖς χερσί*, pro *tradidisti — in manus;* et VII. 24 *in legitimis eius fidem non habuerunt* respondet Graeco *ἐν τοῖς νομίμοις αὐτοῦ πίστιν οὐκ ἐσχήκασι*. Quibus argumentis, jam satis sententiam nostram confirmantibus, tandem addi possunt nonnulla vocabula Graeca quae simpliciter transcripsit interpres: v.c. V. 26 et VI. 46 *plasmatus;* VIII. 38 *plasma;* VIII. 7, 8 *plasmatio;*

VIII. 8, 44 *plasmare*. Clemens etiam Alexandrinus Graecum textum huius Ezrae libri habuisse videtur, nimirum lib. 3° Stromat. citat vs. 35 Cap. V. ed. Lat. *διὰ τί γὰρ οὐκ ἐγένετο ἡ μήτρα τῆς μητρός μου τάφος, ἵνα μὴ ἴδω τὸν μόχθον τοῦ Ιακὼβ, καὶ τὸν κόπον τοῦ γένους Ἰσραὴλ; Ἔσδρας ὁ προφήτης λέγει.*

Ex iis, quae hucusque diximus, luculenter etiam patet, quam anxie interpres saepe inhaeserit verbis, ita ut, latinae linguae indole plane neglectâ, Graecum textum ad verbum redderet. Sic etiam vocabulum *αἰών* semper reddidit per *saeculum*, cum tamen vox reddenda esset *mundus*. Similiter VI. 24 Graeca vox *ὥρα* reddita est Latinâ voce *hora*, sed illa h. l. occurrit notione *certi temporis*, *temporis statuti*, qua saepius occurrit in Vers. Gr. V. T. (cf. SCHLEUSNERI *Thes. Phil. Cr.* h. v.), et recte igitur Aethiops eam reddidit per ጊሜት: quod etiam *de certo quodam temporis spatio* adhibetur, vide LUDOLFI *Comment. ad Hist. Aeth.* p. 387—388. In Latinâ autem linguâ *hora* eâ notione vulgo non usurpatur. VII. 38 vocabulum *θραῦσις* (cf. 2. Sam. XXIV. 15) ad literam reddidit per vocem *confractio*. VII. 55 praepositionem *ὑπέρ*, quae h. l. comparativum indicat, verbotenus reddidit per *super*. IX. 8 verbum *καταλείπεσθαι*, quod h. l. occurrit notione τοῦ *salvum evadere*, *superstitem servari*, ad literam reddidit per *relinqui*; et VII. 67 *ζωοποιεῖσθαι*, quod in versione LXX. etiam occurrit notione *in vita conservari*, quaeque notio derivata est a passivo speciei Hiphil verbi חיה, reddidit per *vivificari*, quamvis contexta oratio suadeat, ut intelligas *in vita conservari*. Tandem idem patet e vocabulo *sanctificatio*, quo VII. 38 et X. 21 reddidit Graecum

ἁγίασμα, quamvis hoc iis locis occurrat notione vocis *templum.*

Nec minus ex iisdem exemplis jam allatis patet, interpretem subinde textum Graecum non bene reddidisse; quod insuper elucescit e V. 37, ubi *πνεύματα* perverse reddidit *flatus* pro *animas.* V. 40 *ὡς* perverse reddidit *quomodo* pro *quemadmodum.* VI. 49 *ζῶα* perverse reddidit *animas* pro *animalia.* X. 43 vocabulum *ἀπόλυσις,* quod h. l. occurrit notione vocis *solutio, explicatio*, perverse reddidit *absolutio.* Sic etiam saepius *quoniam* reddidit Graecum *ὅτι* v. c. VI. 16; VII. 46, 50 sqq. ubi tamen linguae latinae indoles requirit *quod* vel *infinitivum cum accusativo.* VII. 64 vocabulum *ποίημα* reddidit per *opus*, quamvis contexta oratio postulet, ut sit *creatura.* IX. 22 *ἀναιτίως* perverse reddidit *sine caussa*, cum tamen sensus sit *frustra.* XI. 13 sqq. saepius reddidit *ἀφανίζομαι*, quod iis locis occurrit notione *pereundi*, *non apparuit.* XI. 36 et XIV. 2 *ἐναντίον σοῦ* reddidit *contra te* pro *e regione tua.* XII. 3 praepositionem *ἀπό* reddidit *a*, quamvis contexta oratio requirat *propter.* XIII. 19 *ἀνάγκας* reddidit *necessitates*, contexta tamen oratio, consentiente utrâque Vers. Orient., postulat, ut reddas *calamitates.*

Vidimus igitur, interpretem nimis anxie saepe inhaesisse verbis, atque subinde etiam perverse reddidisse; quibus accedit, eundem lutulento usum esse sermone Latino atque vocabula usurpasse, quae vel ipse finxit, vel quibus notionem attribuit in comto sermone Latino inusitatam. Cuius rei nonnulla exempla afferre lubet. Cap. VII. 33 *miseriae* pro *misericordiae*, procul dubio deduxit notionem illius vocis a verbo *miseret.* VII. 28;

VIII. 39; IX. 45 *jucundari* pro *gaudere*. VII. 41 *modo* pro *antea*. VII. 65 *exigentiae* pro *ea quibus opus est*. VIII. 39 *memorari* pro *memorem esse*. IX. 9 *misereri* pro *miserias subire*. XI. 10 *medietas*. IV. 49, 50; XIII. 13 *tristantes* pro *dolentes*. XI. 32, 40 *potentatu tenere* pro *sibi subjectum habere*. VI. 50 *ab alterutro* pro *a se invicem*. XIII. 33 *ad alterutrum* pro *inter se*. Sic praepositionem *in*, ubi motum ad locum significat, construxit cum ablativo III. 6; X. 1, 3, 23, 48; *usque in* cum ablativo, pro *usque ad*, IV. 51; XIII. 46.

Hunc igitur textum Latinum saepius dicendum esse e textu Graeco verbis Latinis transscriptum potius quam conversum, quisque, vel me non monente, ex exemplis allatis jam facile suspicabitur, nec mirabitur igitur sermonem Latinum adeo esse sordidum: quam quidem negligentiam eo facilius intelliget, qui teneat, quae monuit Augustinus (lib. 2 *de doctr. christ.* C. II. 11): »Ut enim cuivis primis fidei temporibus in manus »venit Codex Graecus et aliquantulum facultatis sibi »utriusque linguae habere videbatur, ausus est inter- »pretari.” Nostram autem versionem Latinam referendam esse ad aetatem ante-hieronymianam, cum ex eo patet, quod ipse Hieronymus in emendanda et renovanda Versione Latina librorum Sacrorum hunc librum omisit; ait enim in praefatione ad Esdram et Nehemiam »nec »quemquam moveat quod unus a nobis liber editus »est: nec apocryphorum tertii et quarti libri somniis »delectetur:” tum luculentissime patet ex eo, quod Ambrosius saepissime hunc librum in scriptis suis allegavit, eiusque citata satis accurate conveniunt cum nostra versione Latina. Cff. V. 42 cum Ambr. l. 5 *de*

bono mortis c. X. t. 1 col. 408 b. — VII. 28—30 c. Ambr. *Comment. in Luc.* II. 21. — V. 53—55 c. Ambr. l. l. col. 408 c. — VI. 41 c. Ambr. l. 2 *de spiritu S.* c. 6 t. 2 col. 643 d. — X. 6—11 c. Ambr. l. 1. *de excessu Satyr.* t. 2 col. 1131 c. d. — XIV. 9 c. Ambros. l. *de bono mortis* c. II. t. 1 col. 410 d.

Versionem hancce Latinam minime incorruptam ad nos pervenisse, inprimis apparuit, postquam Aethiopica huius libri versio edita est. Quod enim nonnulli, e quibus Vogelus (1), ex Arabica huius libri versione, cuius versio Anglica confecta est a S. Ockleio (2), jam suspicati sunt, confirmavit plane Versio Aethiopica. Utrâque enim versione Orientali collatâ cum Latina, patet, in hac adesse ab initio libri duo capita, totidemque a fine, quae prorsus desiderantur in Versionibus Orientalibus; quae res ut de authentia horum capitum dubium movet, ita ex aliis argumentis luculentissime patet, ea Capp. quippe spuria esse rejicienda.

Primum enim in Mss. Latinis, quae Laurencius in Bibliothecis Anglicis contulit, unus tantum est Codex, in quo haec capita cum ipso libro sunt conjuncta (3).

Deinde cuique accurate haec capita cum ceteris huius libri capitibus comparanti statim in oculos incurrere debet, textum Latinum horum capitum multo paucioribus vitiis commaculari, quam capita III—XIV, cuius

---

(1) Cf. VOGEL, *Commentatio de conjecturae usu in* N. T., cui adjecit *Commentationem de 4° libro Esdrae.* Altorf 1795. p. 52.

(2) Edita in WHISTON *Primitive Christianity revived* 1711. Vol. 4°.

(3) De his Mss. cf. LAURENCE in *General Remarks* editioni versionis Aethiopicae huius libri subjectis p. 283—287.

cuius rei causa facile ex eo efficitur, quod capita illa recentiori tempore quam c. III—XIV composita sint, quocirca textus eorum Graecus non ita depravationi obnoxius fuerit: fortasse etiam auctor horum capitum Christianus linguam Graecam melius calluit quam Judaeus ille capitum III—XIV auctor.

Praeterea in his capitibus occurrunt nonnulla vocabula Graeca, quae interpres tantum Latine transscripsit, quae tamen in c. III—XIV non occurrunt: v. c. *romphaea* XV. 15, 22, 41, 57; XVI. 32, et *zelare, zelari*, *adzelari*.

Tum argumentum horum capitum non cohaeret cum iis quae post haec sequuntur vel ante ea praecedunt, nam C. I. et II. auctor pluribus descripsit, populum Israëliticum jam a Deo esse reprobatum, aliasque gentes, Christianae religionis asseclas puta, in eorum locum esse substitutas, sed in seqq. Cap. Israëlitae etiamnunc occurrunt tanquam electus a Deo populus; et Cap. XV et XVI oppressoribus populi Dei omnia mala annunciantur, cum tamen ad finem capitis XIV dilucide appareat, librum jam esse finitum. Sed qui capita haec addidit, de industria nonnulla omisisse videtur, quae ad finem c. XIV in utrâque Vers. Orient. leguntur, ut lectores putarent, sequentia etiam esse authentica.

Denique haec capita ab auctore Christiano profecta sunt. De capitibus nimirum I et II hoc satis constat, cum contrà C. III—XIV auctorem Judaeum referant. Praeterquam enim, quod I. 30 imitatus fuisse videtur Matth. XXIII: 37, salvatorem suum, nimirum Jesum Christum, palam testatus est II. 36, et cum Apocalypsi Johanneâ etiam convenit, nam II. 39 ait, vere credentes splendidas tunicas a Deo accepisse, quacum di-

tione cf. Apoc. Joh. VI. 11, et II. 43—45 singulis eorum capitibus imponi coronas a juvene, staturâ excelso, in mediis iis stante, cf. Apoc. Joh. VII. 9. Similiter XV. 8 per *sanguinem innoxium* intelligere videtur *sanguinem martyrum*, de quibus sermo est Apoc. Joh. VI. 9; quae XV. 13, 40 de *sidere illo terribili* habentur, conferri possunt cum Apoc. Joh. VIII. 10; atque XV. 25 valde convenit cum 2ae Epist. ad Corinth. VI. 17.

Haecce capita etiam e Graeco fonte fluxisse, ut e vocabulis illis, modo allatis, jam probabile redditur, ita confirmatur etiam aliis indiciis: I. 14 *magna terribilia feci in vobis* (Gr. ἐν ὑμῖν) pro *inter vos.* I. 23 retinuit Graecam vocem *βλασφημίαν.* I. 31 *νεομηνίαν* pro *novilunium.* I. 29 praepositio *in* h. l. quater cum accusativo construitur, quae dicendi ratio egregie convenit cum usu praepositionis *εἰς* apud Graecos; Latini vero in tali constructione usurpant dativum. XV. 11 *in manu potenti* pro *per manum potentem;* Graeci tamen sic usurpant praepositionem *ἐν.* XV. 13 *deficere a* pro *deficere propter* refert Graecum *ἐλλείπειν ἀπό.* XV. 47 *gloriari in amatoribus* spirat Graecum *καυχᾶσθαι ἐπί τοῖς ἐρασταῖς.* XV. 11 *inducere alicui* pro *super aliquem* refert Gr. *εἰσφέρειν τινί τί.* Denique XV. 19 *ἀκυρόειν,* quod ibi occurrebat notione *devastandi*, reddidit verbotenus *irritum facere*, eodemque loco vocem *ὑπόστασις,* quae ibi occurrebat notione *victus*, reddidit *substantias.* Nec desunt in his capitibus vocabula, quae ex ipsius interpretis ingenio fortassis originem duxerunt, qualia sunt XV. 16 *inconstabilitio*, et XV. 39 *exterritatio.*

Causa autem, ob quam haec capita addita sunt, in

eo fortasse latet, quod Christianus ille librum huncce fidei suae sociis accommodare voluerit: quae sententia confirmatur quoque additione nominis *Jesu* VII. 28. Nostrum enim librum eâ aetate magni esse habitum, patet vel e verbis Clementis Alexandrini modo allatis, qui eum habuit opus ab Ezra propheta conscriptum. Hunc igitur aptissimum habuit, qui Christianis animum adderet in perpetiendis malis, quae ipsis incumbebant, eosque admoneret ne anxie quaererent, quo tandem proposito Deus populum suum electum oppressoribus sic diripiendum traderet. Cum enim auctor Judaeus saepius in libro suo memorasset, parvam tantum hominum partem salutis aeternae participem futuram, plurimosque ad Iudaeorum gentem pertinentes perituros esse, quumque Palaestinam a Romanis devictam atque Hierosolymam templumque sacrum destructa videret (II. 1—9), facile in eam opinionem inductus est Christianus ille, Iudaeos jam a Deo esse reprobatos (I. 4 sqq.), atque religionis Christianae professores a Deo utpote electum suum populum in Iudaeorum locum esse substitutos (II. 10 sqq.); idcirco hos consolatur atque admonet, ut teneant, se ad regnum coeleste vocatos esse, atque a Dei filio, quem in terra professi sint, fidei suae praemia esse accepturos (II. 37 sqq.). Cum tamen auctor Iudaeus (XIII. 39 sqq.) memorasset, exsules, a Salmanassare e regno Israëlitico deportatos, a Deo electos esse, ut felicitatis coelestis participes fierent, non potuit, quin et hos una cum Christianis electum Dei populum diceret, cui destinatum esset aeternum illud regnum Hierosolymitanum. Ne tamen adversaretur opinioni, Christianis tantum salutem aeternam esse destinatam, de his regni

Israëlitici exsulibus ait, eos, quamvis carnalibus oculis miracula Dei (puta apparitionem Jesu in terra) non viderint, vel sic tamen spiritu ea credere (I. 35, 37).

Postquam igitur C. I. et II. docuerat, Christianos in Judaeorum locum a Deo esse electos, atque ex ipso opere (C. III—XIV) cuique facile patebat, hominem non decere, nimis curiose in Dei agendi rationem inquirere (IX. 13), nec quemquam sine suâ ipsius culpâ perire (IX. 22), et parvam tantum hominum partem felicitatis coelestis participem futuram, ultimumque judicium jam instare, tandem addidit duo alia capita XV. et XVI., quibus accuratius significavit tempus, quo fideles praemia accepturi essent. Auctor enim Judaeus (XIV. 11 sqq.) dixerat, dimidium decimae partis mundi adhuc superesse, sed Christianus ille ait (XVI. 53): *pusillum*, i. e. brevissimum temporis spatium, *adhuc et tolletur iniquitas a terra et justitia regnabit;* eumque putasse, suo ipsius tempore mundi finem adventurum esse, cum patet e XVI. 38 sqq., tum ex eo, quod in iis capitibus respicere videtur bella, cum populis Orientalibus a Romanis gesta, quae civitatis Romanae ruinam paratura essent (XV. 28 sqq.): hac autem destructâ, ultimum judicium adfore necesse erat, uti patet e XII. 32 sqq.

Quo melius autem ille Christianis persuaderet, haecce additamenta etiam ab Ezra esse profecta, ea scripsit sub huius nomine, et c. II. sic finivit: *vade, annuncia populo meo, qualia et quanta mirabilia Domini Dei vidisti,* quibus verbis jam ipsas visiones, C. III—XIV. exhibitas, addidit, atque C. XV. sic incepit: *ecce loquere in aures plebis meae sermones prophetiae, quos immisero in os tuum, dicit Dominus:* quia XIV. 38 legi-

tur Angelus Ezrae dixisse: *Esdra, aperi os tuum et bibe, quo te potavero.*

Ex eâdem autem Versionum Orientalium cum Versione Latinâ comparatione patet etiam, plurima desiderari inter vs. 35 et 36 capitis VII. Ut enim cuique statim apparet, nullam esse cohaerentiam inter vs. 35 et 36 cap. VII, quin vs. 36° aliud prorsus argumentum tractari, quod nullo modo cum iis, quae in praecedentibus leguntur, cohaeret, sic in utrâque versione Orientali plurima inserta occurrunt, quae egregie inter utrumque illum versum locum suum tuerentur: atque olim eadem etiam in textu Latino fuisse lecta, partim patet ex AMBROSII libro *de bono mortis*, qui C. XI. p. 409 plurima e libro nostro citavit, quae tamen hodie in eo desiderantur (1): idcirco defectus ille seculo IV° ad finem vergente nondum aderat.

Minime tamen consentimus Vogelio (2), demonstrare conanti, ea, quae leguntur a C. VII. 25 ad VIII. 20, additamento illo, ex utraque Versione Orientali supplendo, incluso, tanquam spuria atque auctori supposita esse rejicienda, his argumentis nixo:

1°. Additamentum esse ex ipso genere dicendi intelligitur, quod, si in reliquo libro sobrium dici potest, in hoc additamento jejunum appellandum erit.

2°. Descriptionem infelicitatis et felicitatis vitâ defunctorum (vide Cod. Pseudepigr. V. T. Fabricii, II. p. 239 sqq., Vers. Aeth. VI. 50 sqq.) minime cum eâ convenire, quam sistit C. VIII. 52, 59.

---

(1) Cf. LAURENCE, *General Remarks* l. l. p. 288—292, ubi ea, quae Ambrosius citavit, descripta sunt.

(2) l. l. p. 52—53.

Huic vero Vogelii conjecturae nobis non inhaerendum esse putavimus, primum quidem, quia ille non addidit, qua tandem in re discrimen illud dicendi generis consistat, nobis illud non animadvertentibus; deinde, quia nullum aliud invenimus discrimen inter utramque memoratam descriptionem infelicitatis et felicitatis vitâ defunctorum, nisi quod primo loco accurate ea res describitur, quae altero loco quasi ἐν παρόδῳ tractatur (1).

Vidimus jam in Versione Latina nonnulla recentiori aetate addita esse, nonnulla vero desiderari, quae e Versione utrâque Orientali et ex Ambrosii citatis supplenda sunt: quocirca restat tandem, ut de integritate verborum agamus. Qua in re ita versandum nobis esse duximus, ut de iis locis observationes nostras in medium proferamus, in quibus vel verba Latina depravata deprehendimus, vel ex ipsis Latinis verbis, collatâ maxime Versione Aethiopicâ, intelligimus, jam Graecum Codicem, quo usus est interpres, non immunem fuisse a depravatione. Ne tamen exspectent lectores, me omnes locos depravatos sanitati restituturum esse, quod, ut vires meas, juveniles adhuc, longe superat, ita difficillimum est propter defectum ipsius archetypi Graeci, ac propter vertendi rationem, quam secutus est Latinus Interpres. Sermonis enim Latini indolem saepe neglexit, nimis inhaerens vocabulis Graecis, quocirca Grammatices regulae nullum fere auxilium praebere possunt in emendando textu Scriptoris, qui ipse eas neglexit: et tum demum vera lectio saepe prodit, cum textum Latinum ad literam in Graecam linguam transtuleris.

---

(1) Cff. insuper quae notavit LAURENCE, *General Remarks* l. l. p. 292—294.

Hanc difficultatem auxit etiam incuria, quâ erga hunc librum Viri docti versati sunt, quae tanta est, ut in Introductionibus, quae vocantur, in libros Apocryphos V. T., *Eichhornii*, *Bertholdti* et *de Wettii*, ne memoretur quidem. Hinc etiam factum, ut de Codice vel Codicibus, e quibus hic liber primum editus est, nihil annotatum viderimus, neque alius apparatus criticus ad manus fuerit, nisi collatio Ms. Sangermanensis, quae exstat in ed. Versionis Latinae librorum Sacrorum a Sabatiero paratâ, atque utraque Versio Orientalis, Arabica nimirum et Aethiopica. Quamvis ex Arabica Versione nihil aliud discere potuimus, quam quae Fabricius in Cod. Pseudepigr. V. T. et LAURENCE in ed. Versionis Aethiopicae de eâ annotarunt. Versionis Latinae editione, a Sabatiero paratâ, usi sumus, quam in paucissimis ab editione Fabriciana, in huius Codice Pseudepigr. V. T. p. 193—307, differre animadvertimus: cf. X. 13, 59; XI. 24; XII. 3, 25, 32; XIII. 4, 17. Editionem tamen Sabatierianam accuratiorem esse nobis apparuit, nec immunem esse editionem Fabricianam a vitiis typographicis. Textus autem Latinus, qui in Bibliis Junii et Tremellii invenitur, ita omni auctoritate criticâ destitutus est, ut vel ea verba, quae ipsis cum comto sermone Latino non convenire videbantur, quamvis nullum depravationis indicium iis inesset, mutare ausi sint. Multo plus debemus Versioni Belgicae huius libri, a Palmio nostro, viro Cl., confectae, cuius interpretatio librorum Sacrorum ab omnibus, quotquot eam noverint, summis extollitur laudibus. Capita I. et II. atque XV. et XVI. omittenda esse duximus quippe spuria.

CAP. III.

Vs. 1. *Babylone.* Post hanc vocem in Vers. Aeth. inserta leguntur *ego Sutaël cognominatus Ezra*, in Vers. Arab. *ego Ezra, dictus Schalatial.* In Codd. autem Latinis haec olim etiam affuisse, patet e Ms. Sangerm., in quo addita leguntur *ego Salathihel, qui et Esras*, quae verba LAURENCE (1) in aliis etiam Codd. Latinis apprehendit, eorum omissionem jure adscribens transscriptori Codicis, secundum quem textus Latinus editus est: hanc enim primam editionem sequentes editores de novo solummodo imprimendam curarunt, non vero emendarunt.

Vs. 4. *et imperasti populo.* Cl. v. d. Palm conjecit legendum esse *et eam parasti populo;* sed e collatione Vers. Aeth. patet pro *populo* legendum esse *pulveri.* Error facile e Gr. *κοινῷ*, uti Latinus probabiliter legit, pro *κόνει*, oriri potuit.

Vs. 8. *mira.* Cl. v. d. Palm egregie conjecit, consentiente Vers. Aeth., legendum esse *mala.* — ib. *praecepta tua.* Post haec verba excidisse videntur vocabula *nec tu eos impedivisti*, quae in utrâque Vers. Orientali addita leguntur et cum contextâ oratione bene conveniunt.

Vs. 10. *et factum est in uno quoque eorum.* Pro his verbis valde obscuris melius in Versione Aethiopica legitur *et simile factum est eorum judicium*, quacum lectione quodammodo convenit Ms. Sangerm., in quo habetur *et factum est in uno casui eorum.* Haec lectio

---

(1) Cf. *Gener. Rem.* l. l. p. 288.

procul dubio in Codd. Lat. antiquissima et genuina est, quam recentior manus emendare conata est; quae emendatio eo facilior erat, quia *c* et *qu* pronuntiatione non differebant. Interpretem tamen Latinum vitioso Codice Graeco usum fuisse apparet, ac procul dubio ab ipso auctore scriptum fuit *καὶ ἦν μία τύχη αὐτῶν*, sed illud *ἦν*, quod antiquâ scripturâ non differebat ab *ἓν*, vel bis scriptum legit, vel per errorem bis ibi lectum fuisse putavit Latinus. Interpres autem Aethiops, ut dilucida redderet verba *μία τύχη*, vertit *simile judicium*, quod sensu tenus h. l. idem est.

Vs. 14. *voluntatem tuam.* Post haec verba e Ms. Sangerm., consentiente Versione Aethiop., addendum est *secrete noctu.* Pro *voluntatem tuam* in Vers. Aeth. legitur *finem temporis eius*, quacum convenit Vers. Arab., in qua legitur *quae tempore futuro* (sic enim legendum est pro *fatuor*, quod in Fabric. Cod. Pseud. V. T., II. p. 204, occurrit) *eventura essent.* Hoc vero discrimen facile oriri potuit e textu Graeco: Orientales enim legisse videntur *τό τελείωμα τοῦ καιροῦ αὐτοῦ*, Latinus vero *τὸ θέλημα σοῦ*, nisi legerit *τὸ θέλημα τοῦ Κύριου αὐτοῦ*: fortasse hoc olim in Cod. Gr. lectum fuit et ab alio mutatum in *τὸ θέλημα σοῦ*, putante, illa verba non bene sese habere, quia Ezra h. l. ipsum Deum alloquitur.

Vs. 17. *adduxisti.* In Ms. Sangerm., consentiente Vers. Aeth., melius legitur *et adduxisti eos*, nempe posteros Jacobi.

Vs. 18. *statuisti.* Sine dubio legendum est *commovisti*, uti etiam in Vers. Aeth. habetur, illudque jam expressum est in Bibl. Junii et Tremell., ubi pro *statuere* occurrit verbum *quatere.* Error facile e Graeco

ἔστησας, corrupto ex ἐκίνησας, oriri potuit. — Ib. *saeculum.* In Vers. Aeth. melius legitur *mare.*

Vs. 21. *sed et omnes.* Ante haec verba e Vers. Aeth. supple *et non solus ille*, eaque in Codd. Lat. omissa esse testantur vocabula *sed et.*

Vs. 22. *et lex cum corde populi.* In Vers. Aeth. legitur *cum lege tua in corde populi*, quae Versio ab Arabe etiam confirmatur et contextui egregie convenit. Idcirco Latinus, pro σὺν τῷ νόμῳ σοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ λαοῦ, perverse legit σὺν τῷ νόμῳ, σὺν τῇ καρδίᾳ τοῦ λαοῦ, commate post νόμῳ posito, itaque verba σὺν τῷ νόμῳ ad praecedentem sententiam retulit, et, ne bis praepositio *cum* legeretur, pro *una cum lege* reddidit *et lex*, quod secundum ipsius sententiam h. l. idem valebat. — Ib. *cum malignitate radicis.* In Vers. Aeth. legitur *cum basi mala*, Graece ergo fuisse videtur μετὰ τοῦ κακοῦ τοῦ θεμελίου. Latinus autem interpres τοῦ κακοῦ substantive sumsit, ac si Genitivus τοῦ θεμελίου penderet a praecedente τοῦ κακοῦ. Verum Vers. Aeth. nobis videtur praeferenda, quia vs. 20 auctor dixit, in Adamo fuisse cor malignum, quod ad eius posteros transiit, quocum melius convenit, quod in Vers. Aeth. legitur, nempe *basin* illam *malam*, ab Adamo primum positam, ab eius posteris servatam esse.

Vs. 24. *thus et oblationes.* Cum Ms. Sangerm. lege *tuas oblationes:* postquam *tuas* in *thus* erat depravatum, vocula *et* facile inserta est. Cum Ms. Sangerm. convenit etiam Vers. Aeth.

Vs. 25. *Et factum est hoc annis multis.* In Vers. Aeth. legitur *et non multis diebus et annis* (praeterlapsis), quae verba melius cum contexta oratione conveniunt, quia auctor h. l. in eo versatur, ut de-

monstret, perversitatem semper affuisse. Error facile e Graeco textu oriri potuit, in quo Latinus, pro *καὶ ἐγένετ' οὐ πολλά ἔτη*, vitiose legit *καὶ ἐγένετο πολλά ἔτη*, illud *hoc* de suo addens, quippe quod loci ratio postularet.

Vs. 28. *Numquid.* In Ms. Sangerm. recte praemittuntur huic vocabulo *et dixi ego tunc in corde meo*, quae verba etiam in utraque Vers. Orient. leguntur. — Ib. *faciunt.* Post hanc vocem in utraque Vers. Orient. additum legitur *quam nos*, nec male.

Vs. 29. *et vidissem.* Convenienter cum Vers. Aeth., atque approbante contextâ oratione, in Ms. Sangerm. melius legitur *et vidi.* — Ib. *anno hoc tricesimo.* In utrâque Vers. Orientali melius legitur *annis his triginta;* nimirum auctor h. l. memorat, Ezram ab eo inde tempore, quo Babylonem venit, huius incolarum agendi rationem observasse, eosque Israëlitis haud meliores expertum fuisse.

Vs. 31. *Nihil memini.* Lege *nihil nemini*, *μηδὲν μηδενί*, quam emendationem Vers. Aeth. et contexta oratio confirmant.

Vs. 34. *et non — Israel.* Haec verba prorsus discrepant ab iis, quae in utraque Vers. Orient. leguntur, eaque a recentiori aliquo scribâ esse profecta, qui genuinum textum non intelligeret, patet e Ms. Sangerm., in quo vera lectio partim etiamnunc servata est: in eo enim legitur: *et invenietur nomen tuum puncti*, *ubi declinet* nempe statera; pro *puncti* vero legendum videtur *a puncto* i. e. *inde a puncto*, nisi praepositio *ἀπό* jam in Cod. Graec., quo usus est Latinus, defuerit. Verum sensus oppositus jam prodit, nam auctor vult, iniquitates ceterarum gentium plures

esse quam Israëlis, ideoque eorum iniquitates stateram declinare facere, quocirca vocula *non* ante *invenietur* e textu Latino edito servanda erit.

Vs. 36. Hic versus in Vers. Aeth. plane aliter legitur quam in Vers. Lat. Fortassis idem ille, qui posteriorem versus 34[i] partem mutavit, etiam h. l. alia substituit pro genuinis verbis; per *hos* autem intelligendos esse *Israëlitas*, exinde patet, quod in fine huius versus opponuntur *gentes*.

C A P. IV.

Vs. 2. *in seculo hoc.* Pro ἐξεστάθη ἡ καρδία σοῦ ἐπί τούτῳ τῷ αἰῶνι, prouti verosimiliter Graece lectum fuit, Latinus perverse legit ἐ. ἡ κ. σ. ἐν τ. τ. ἀ.

Vs. 4. *unde sit cor malignum.* Graece fuisse videtur ἀφ' οὗ τοῦτο τό κακόν, prouti ex Aeth. Vers. patet. Interpres autem Latinus τοῦτο τό κακόν perverse accepit *de corde maligno*, de quo in superiori capite sermo fuit. Sed referenda esse haec verba ad ea, quae auctor ad finem praecedentis capitis retulit de infelicitate, quâ premebantur Israëlitae, e contexta oratione satis patet. Fieri autem potest, ut Codex Graecus, quo Latinus usus est, jam depravatus fuerit.

Vs. 5. *ignis pondus.* In Vers. Aeth. legitur *ignem in quadam statera.* Pro Graeco πῦρ ἐν σταθμῷ, prouti Aethiops legisse videtur, Latinus in Codice suo probabiliter habuit πυρὸς σταθμόν: σταθμός enim tam de *pondere* quam de *staterâ* usurpatur. Versio tamen Aethiopica praeferenda videtur.

Vs. 7. *venae sunt super firmamentum.* Jure Cl. v. d. Palm dubitavit de integritate vocis *venae*, pro qua, prouti docet Vers. Aeth., legendum est *viae*. Scriba facile in errorem induci potuit per vocabulorum similitudinem, praesertim quia vocabulum *venae* modo praecessit. — Post vocem *firmamentum* inserendum esse *aut quaenam est via Inferni*, ex utrâque Vers. Orient. apparet et confirmatur vs. seq. 8°. Fortasse tamen in Cod. Gr. haec verba jam deërant.

Vs. 9. *per quem transisti.* In Vers. Aeth. legitur *qui transiit*, quae lectio praestat, uti e vs. 5° praecedente patet. Fortasse in Cod. Graec., quo usus est Latinus, lectio *δι᾽ ἧς διεβήσας*, pro *ἣ διεβήσε*, prouti Aethiops legit, orta est e repetitione praepositionis *δι᾽*: scriba enim in Cod. Gr. inveniens *ἣ διδιεβήσε* facile putare potuit, hanc lectionem depravatam esse pro *δι᾽ ἧς διεβήσας*. — Ib. *et a quibus separari non potes.* Pro his verbis, quae h. l. nullum sensum praebent, in Vers. Aeth. recte legitur *et ecce non potes id intelligere.* Graece procul dubio fuit *καὶ οὐ δύνασαι τοῦτο γνωρίζειν*, pro quibus interpres Latinus legisse videtur *καὶ οὐ δύνασαι τούτων χωρίζεσθαι.*

Vs. 11. *poterit — viam.* Pro his verbis in Vers. Aeth. melius legitur *poteris intelligere ordinationem viae Altissimi.* Pro Graeco *καὶ πῶς δύνασαι τόν στίχον συλλαμβάνειν τῆς τοῦ Ὑψίστου ὁδοῦ*, Latinus male legisse videtur *καὶ πῶς δύναται τό ἄγγος σοῦ λαμβάνειν τήν τοῦ Ὑψίστου ὁδόν*: semel *τόν στίχον συλ.* in *τό ἄγγος σοῦ* depravatis, ceterae mutationes facillime oriebantur. Quae in hoc versu sequuntur vix intelligi possunt. Versio tamen Aethiopica, quacum Arabs con-

sentit, egregium sensum praebet. Sine dubio Codex Graecus, quo usus est Latinus, jam depravatus fuit. Secundum Vers. Aeth. textus Graecus huiusmodi fuit: *Ἐκ γὰρ τοῦ ἄπειρον μορφοῦται ἡ τοῦ Ὑψίστου ὁδός, καὶ οὐ δύνασαι, ὢν διεφθάρμενος, καταλαμβάνειν τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, ὅς ἐστίν ἄφθορος· καὶ, ὡς ἤκουσα, προςπέπτωκα εἰς τὸ πρόσωπον μοῦ.* In Cod. autem Gr., quo usus est Latinus, priora verba usque ad *ὁδός* omissa erant, fortasse quia modo praecedens sententia in similia verba desinit; tum ex ultimis literis *αι* vocis *δύνασαι*, conjunctis cum *ὤν*, ortum fuisse videtur vocabulum *αἰωνος*, sequenti *διεφθάρμενος* mutato in *διεφθαρμένου*; deinde vocabula *ὁδόν αὐτοῦ ὅς ἐστίν* deërant, et pro *ἄφθορος* legit *φθοράν*; porro pro *καὶ, ὡς ἤκουσα, προςπέπτωκα* aliud vocabulum legit, quod reddidit *evidentem*, et pro *εἰς τὸ πρόσωπον μοῦ* legit *ἐν τῷ προσώπῳ μοῦ.* Sed quaenam vocabula Graeca per verba *jam exterius* interpretatus sit, mihi prorsus ignotum est.

Vs. 13. *Proficiscens — campi.* In Vers. Aeth. legitur *profectae sunt silva arboresque campi*, quae lectio melius cum contextu convenit, eandemque confirmare videtur usus vocis *et* in Vers. Lat., pro qua, si lectio Vers. Latinae genuina esset, lectum fuisset *quae.* Fortasse vitium jam affuit in Cod. Gr., quo usus est Latinus.

Vs. 17. *stetit.* In Vers. Aeth. melius legitur *stare fecit* (Laurence h. l. male vertit *stetit*), idcirco pro *stetit* legendum est *stitit.*

Vs. 19. *Utique.* Cl. v. d. Palm ingeniose conjecit legendum esse *utrique*, quam emendationem confirmat Aethiops.

Vs. 20. *et quare — ipsi.* Inserendum est e Vers.

Aeth., cogente contextu, vocabulum *ita* vel *similiter*.

Vs. 22. *Deprecor — intelligendi.* In Vers. Aeth. melius legitur *o Domine! te precor, quare igitur datum sit nobis cor, quo cogitamus.* Graece ergo verosimiliter fuit *Ἔυχομαι σὲ, Κύριε, ἵνα τί δή κ. τ. λ.* pro quibus Latinus in Cod. suo male legisse videtur *Ἔυχομαι σὲ, Κύριε, ἵνα μή.* Verba *INATIΔH*, inaccurate scripta, facile depravari potuerunt in *INAMH.*

Vs. 23. *superioribus tuis.* Lege *superioribus viis*, consentiente Aethiope. — Ib. *Propter quid.* In Vers. Aeth. legitur *nam.* Graece ergo fuit *διότι*, quae verba Aethiops affirmative, sed Latinus interrogative sumsit; utrumque tamen defendi potest.

Vs. 26. *Si fueris — miraberis.* Pro his in Ms. Sangermanensi legitur *si fueris, videbis et si vixeris, frequenter miraberis.* Quae lectio melius cum contexta oratione convenit atque confirmatur Vers. Aeth.

Vs. 27. *Et non capit — sunt.* Una cum Ms. Sangerm. et Vers. Aeth. vox *futuris* ejicienda mihi videtur: fortasse dein in textu addita est, quia sequitur *repromissa sunt.* Sed puto, auctorem h. l. significare, mundum non posse diutius portare ea, quae in temporibus (*ἐν τοῖς χρόνοις*, i. e. variis temporibus) promissa sunt probis: cf. vs. 35 huius Capitis. — Pro *capit* in Vers. Aeth. legitur *potest*, quod praeferendum est: pro *δύναται* ergo Latinus male legisse videtur *δέχεται.* Ib. *injustitia.* In Mss. Sangerm. legitur *moestitia*, quod melius cum Vers. Aeth. convenit.

Vs. 28, 29. Textus Latinus h. l. in multis differt ab Aethiop. Vers., quamvis utraque Versio defendi po-

test. Discrimen illud procul dubio jam in Codd. Graec. affuit.

Vs. 32. *spicae.* Post hoc vocabulum e Vers. Aeth. inserendum est *seminis boni.* Utraque Vers. verbis quidem valde differt, non vero sensu.

Vs. 33. *Quomodo.* In Vers. Aeth. melius legitur *quamdiu:* pro ἕως πότε Latinus fortasse legit πῶς. — Ib. *quare.* In Vers. Aeth. melius legitur *quia:* verbum διότι Latinus perverse interrogative sumsit.

Vs. 34. *Tu enim — multus.* In Vers. Aeth. legitur *Et tu festinas propter te ipsum, sed Altissimus propter multos.* Quae verba multo meliorem sensum praebent, atque partim confirmantur etiam Ms. Sangermanensi, in quo legitur *tu enim festinas vaniter cum et ipsum spiritum, nam Excelsus permultis.* Pro *cum et* vero legendum erit *tuummet*, et dativus vocis *permultis* pendet a verbo subintellecto *festinat*, eo sensu *nam Excelsus festinat propter multos* vel *in gratiam multorum.* Quae autem in edito textu Latino leguntur, corruptricem manum recentiorem redolere mihi videntur.

Vs. 35. *Spero sic.* In Vers. Aeth. melius legitur *erimus hic.* Fortasse Versio Latina corrupta est e vs. 27 praecedenti, ubi de *spe justorum* sermo est: legendum ergo conjicio *ero hic.*

Vs. 36. *Seminum in vobis.* In Ms. Sangerm. vocula *in* deest, et in Vers. Aeth. pro his verbis legitur *eorum, qui ut vos sunt*, quae lectio sententiae multo melius convenit: idcirco textum Latinum sic emendandum puto: *similium vobis;* postquam *similium* in *seminum* erat depravatum, vocula *in* facile in textum inserebatur.

Vs. 37. *Et numero numeravit tempora.* Haec verba desunt in Vers. Aeth. et sine ullâ noxâ abesse possunt: fortasse dein inserta sunt ab aliquo, cuius menti inhaerebant, quae leguntur Sap. Salom. XI. 20. — Ib. *et non commovit nec excitavit.* Contexta oratio postulat, ut legatur *et non commovebit nec excitabit.*

Vs. 42. *Commendata sunt.* Vocabula *ab initio*, quibus incipit versus sequens, jungenda sunt cum hoc versu, et sequens versus sic incipere debet: *Tunc tibi demonstrabitur.* Haec emendatio nititur auctoritate Versionis Aeth. et confirmatur Ms. Sangermanensi.

Vs. 45. *Habet venire.* In Vers. Aeth. *venturum sit;* Graece ergo fuit *μέλλει ἔρχεσθαι,* pro quibus Latinus male legit *ἔχει ἔρχεσθαι.*

Vs. 46. *Quod pertransivit.* In Ms. Sangerm. praemittitur *quoniam*, quocum consentit Vers. Aeth.

Vs. 48. *Vidi*, quod ad finem huius versûs legitur, cum Vers. Aeth. potius equidem ejiciam.

Vs. 51. *Vel.* Cum Vers. Aeth. potius lege *et.*

CAP. V.

Vs. 1. *In censu multo.* In Vers. Aeth. melius legitur *et magnus terror eos apprehendet.* Idcirco, pro *καὶ παραληφθήσονται οἱ ἐν τῇ γῇ οἰκοῦντες φόβῳ μεγάλῳ,* Latinus perverse legit *κ. π. ο. ε. τ. γ. ο. ἐν φόρῳ μ.* Cl. v. d. Palm jam sensit, haec verba esse vitiosa, pro *censu* legendum suadens *casu.*

Vs. 3. *Imposito vestigio.* In Ms. Sangerm. legitur *incompositio vestigio*, quae lectio textui edito multo

est praeferenda, uti e contextâ oratione patet, modo pro *vestigio* legas *e vestigio.* — Ib. *videbunt eam desertam.* Pro *eam* cum utrâque Versione Orientali potius lege *terram.*

Vs. 4. *videbis post tertiam tubam.* In utrâque Vers. Orient. his verbis adduntur vocabula *terram turbatam*, quae procul dubio e Codd. Lat. exciderunt. — Ib. *ter indie.* Cl. v. d. Palm recte conjecit legendum esse *interdiu*, quam emendationem confirmant Vers. Aeth. et Ms. Sangerm.: in hoc enim legitur *interdie.* In Bibl. Junii et Tremell. eadem lectio etiam recepta est.

Vs. 6. Huic versui secundum Versionem Aethiopicam praemittendum est: *et stellae lacerabuntur;* fortasse in Codice Graeco lacuna jam aderat.

Vs. 8. *Et Chaos.* In Vers. Aeth. melius legitur *et sonus.* Pro Gr. ἦχος ergo Latinus in Cod. suo male legit χάος. — Ib. *remittetur.* Cum Vers. Aeth. lege *emittetur:* litera *r* vocis praecedentis *frequenter* per errorem bis scripta fuit. — Ib. *menstruatae.* Hoc vocabulum deest in utrâque Vers. Orient.: fortasse depravatum fuit e mox sequenti *monstra*, utrâque voce dein in textum receptâ.

Vs. 11. *justitia.* Post hanc vocem in Vers. Aeth. recte additur *vel.*

Vs. 12. *Impetrabunt.* Post hanc vocem in Vers. Aeth. additur: *et matrimonium contrahent et non gaudebunt.* Utrum haec verba e Cod. Lat. exciderint, an jam defuerint in Cod. Gr., quo usus sit Latinus, affirmare non audeo. — Ib. *Dirigentur.* In Vers. Aeth. melius legitur *prosperae erunt.* Fortasse Latinus Interpres Graecam vocem male reddidit.

Vs. 15. *in me.* Lege *ad me*, nisi pro Gr. *εἰς* Latinus in Cod. suo male legerit *ἐν.*

Vs. 19. *et non appropies.* Lege *et non appropinques.* In Ms. Sang. legitur *accedas*, in quo recte additur *usque a diebus septem*, consentiente utrâque Vers. Orient. Porro in utrâque Versione additur insuper *et post veni ad me*, quod tamen in Vers. Lat. deest, et pro *et audivit*, *ut dixi*, in iisdem Verss. legitur *et tecum colloquar.* Graece fortasse fuit *καὶ ἀκουστόν σοί ῥῆμα*, sc. *ποιήσω* (cf. 1 Sam. IX. 27 ubi in Cod. Al. eadem constructio habetur), Latinus autem legisse videtur *καὶ ἤκουσε τὸ ῥῆμα*, nempe *μοῦ.*

Vs. 24. *foveam.* In Vers. Aeth. legitur *terram*, in Vers. Arab. *agrum*, quae utraque lectio textui Latino praeferenda est. Probabiliter pro *ἀγρὸν* Latinus in Cod. suo male legit *τάφρον.*

Vs. 27. *ab omnibus.* Lege *ex omnibus*, docente Versione Aeth., nisi Codex Gr. jam depravatus fuerit.

Vs. 28. *praeparasti — alias.* In Vers. Aeth., consentiente Arabe, melius legitur *et ignominiâ affecisti unam radicem magis quam alteram.* Fortasse discrimen repetendum erit e vitioso Cod. Gr., quo usus est Latinus, in quo, pro *κατεφρονήσας μίαν ῥίζαν ὑπὲρ ἄλλην*, vitiose lectum fuit *κατέστησας ὑπὲρ μίαν ῥίζαν ἄλλας.* — Ib. *in multis.* Recte legitur in Bibliis Junii et Tremellii *in multos*, i. e. *inter multos*, quae emendatio confirmatur priore huius versus parte. In Vers. Aeth. legitur *prae multis.*

Vs. 36. *Numera mihi.* In Vers. Aeth. recte additur *dies*, eamque vocem etiam in Cod. Gr. affuisse, quo usus sit Latinus, ostendit sequens vocabulum *quae*, Gr. *αἱ*, quia praecesserat *ἡμέραι.*

Vs. 37. *flatus.* Latinus Interpres h. l. perverse reddidit *πνεύματα,* quam vocem Aethiops melius vertit *animas.* — Ib. *vocis imaginem.* In Vers. Aeth. plenius legitur *imaginem eorum, quos nunquam vidi et audire me fac eorum vocem.* Interpres ergo Latinus in Cod. suo Gr. unice legisse videtur *μορφήν φωνῆς,* quae lectio orta erat e *μορφήν — — φωνήν,* iis, quae inter utramque vocem legenda erant, omissis. Versionem Aeth. partim confirmat Arabs.

Vs. 40. *in fine charitatem.* In Vers. Aeth., consentiente Arabe, melius legitur *finem charitatis.* Utrique Versioni Orient. propius accedit Ms. Sang., in quo legitur *in finem charitatis.* — Ib. *populo.* E Vers. Aeth. supple *meo.*

Vs. 41. *in finem.* Contexta oratio suadet, ut legatur *in fine erunt.* An vero vitium jam in Cod. Gr. latuerit, affirmare non audeo. In Vers. Aeth. haec verba desunt.

Vs. 44. *creandi sunt.* In Vers. Aeth. et Ms. Sangerm. legitur *creati sunt.* Utraque lectio defendi potest.

Vs. 45. *vivificasti.* In Vers. Aeth. melius legitur *vivificabis*, quam lectionem si praeferas, pro mox sequenti *sustinebat* legendum erit *si sustinebit.* Quamvis nullus dubitem, quin Vers. Aeth. h. l. textui Latino praeferenda sit, vel sic tamen probabile videtur, vitium non latere in Cod. Lat., sed jam affuisse in Cod. Gr., quia in Vers. Arab. simile vitium atque in Vers. Lat. h. l. observatur.

Vs. 49. *ea, quae senum sunt.* Pro his in Ms. Sangerm. melius legitur *nec ea, quae senuit, adhuc* (nempe *parit*). Vers. Aeth. h. l. valde discrepat a Vers. Lat., sed illam valde corruptam esse facile patet. Sensus

ergo vs. 48 et 49 hic est: vs. 48 ait Deus, se matricem terrae per tempus, non vero semel et una, destinasse iis, qui procreandi essent; vs. 49, hanc autem matricem ita esse dispositam, ut initio similis fuisset matrici infantis, quae nondum pariat, nempe ante homines procreatos, et ut tandem similis futura esset matrici mulieris, quae senuerit, et parere amplius nequeat, nempe post ultimum judicium, quando homines in posterum haud nascituri sint. Hanc esse horum versuum sententiam patet e vs. 50 seq., ubi Ezra rogat, utrum mundus juvenis adhuc sit, an vero senectuti jam appropinquet, eamque comprobare videtur Vers. Arab.

Vs. 50. *jam senectuti.* Contexta oratio suadet, ut ante haec verba legatur *an.*

Vs. 52. *ante te.* Voculam *te,* quippe e bis scriptâ praecedenti syllabâ ortam, ejice: recte deest in Vers. Aeth.

Vs. 53. *in juventute virtutis.* Laurence in ed. Vers. Aeth. p. 174 ait, Ambrosium pro his verbis habere *in virtute juventutis*, quae lectio, quippe aptior et Versioni Aeth. congrua, praeferenda est.

Vs. 55. *senescentes — praetereuntes.* Contexta oratio suadet, ut h. l. legatur *senescente creaturâ — praetereunte*, quam emendationem confirmat AMBROSIUS in iis, quae e nostro libro citavit in libro *de bono mortis* c. 10 t. 1 col. 408 c. Fortasse textus Latinus olim fuit *senescentis creaturae — praetereuntis*, et sic Interpres Latinus ad literam reddidit Genitivum, quem absolutum dicunt, Graecorum.

CAP. VI.

Deest h. l. responsum ad quaestionem, in ultimo praecedentis Capitis versu ab Ezra prolatam, quod tamen legitur in utraque Vers. Orient.

Vs. 3. *motae virtutes.* In Ms. Sangerm. legitur *motu virtutis.* Legendum autem esse *motuum virtutes* docet Vers. Aeth., in qua habetur *vis terrae motus.* Voce *motuum* Interpres Latinus h. l. procul dubio expressit σεισμῶν notione *terrae motuum*, et per *virtutes* intelligi *vires* quisque novit.

Vs. 4. *et antequam aestuarent — Sion.* Haec verba desunt in Vers. Aeth., nec cum contextâ oratione recte conveniunt, quocirca, nisi sint ejicienda, cum Cl. v. d. Palm potius pro *Sion* legam *sole.*

Vs. 6. *et facta sunt — per alium.* Pro his in Vers. Aeth. legitur *quod ipse eram et non alius*, quae lectio videtur praeferenda: nam h. l. sermo esse nequit de creatione omnium rerum, quia agitur de tempore, antequam quidquam creatum erat: vide insuper quae ad Vers. Aeth. annotavimus. Cum Vers. tamen Lat. consentire videtur Arabica.

Vs. 10. *Hominis manus.* Verosimiliter legendum videtur *Homo est medius*, quam emendationem confirmat Vers. Arab. atque Aeth. Haec tamen h. l. etiam corrupta est, quam infra emendare conaturi sumus. Sensus igitur est: *Homo*, i. e. *corpus humanum*, *medius est inter calcaneum et manum*, i. e. extremae membrorum hominis partes sunt calcaneum et manus.

Vs. 14. *Et erit — locus.* Hicce locus corruptus facile emendatur e Vers. Aeth. In hac legitur *et cum commovebitur commotione locus:* Latinum igitur tex-

tum sic lege: *et sicut commotione commovebitur locus.* E syllaba *ne*, a voce sua distractâ, facile per bis scriptam sequentem literam *c* hodierna lectio orta est: *sicut* h. l. occurrit pro *quam primum*, nisi legendum sit *si*.

Vs. 15. *loquitur*. In Vers. Aeth. melius legitur *loquor tecum*. Fortasse vitium jam latuit in Cod. Gr. quo usus est Interpres Latinus. — Ib. *intelligitur*. Cum Vers. Aeth. potius lege *intelliget id*. Vitium fortasse commissum est ab ipso Interprete, Graecum vocabulum γνώσεται perverse reddente *intelligi*.

Vs. 16. *Tremescit*. Ante hoc vocabulum comma ponendum est, ipsumque muta in *tremescet*: sicuti pro mox sequenti *commovetur* in Ms. Sangerm. recte quoque legitur *commovebitur*, consentiente Aethiope.

Vs. 20. *et omnes videbunt simul*. In Vers. Aeth. melius legitur *et omnes videbunt me*. Pro ἐμὲ Latinus male legit ἅμα. Sic etiam Apoc. Joh. XX. 12 omnes mortui dicuntur stare ἐνώπιον τοῦ θεοῦ.

Vs. 21. *et vivent et suscitabuntur*. Cl. v. d. Palm putat, auctorem significare, eos infantes aut in vitâ mansuros esse aut e morte resuscitatum iri. Sed haud scio an ordo verborum ingeniosum interpretem in errorem induxerit. In Vers. Aeth. melius sic legitur: *et suscitabuntur et vivent*, i. e. *et in vitam vocabuntur et vivent*. Infantes enim trium vel quatuor mensium nondum apti sunt, qui pariantur, verum eo tempore Deus illos infantes, etsi inopportune natos, in vitam vocabit, et hi in vitâ manebunt.

Vs. 24. *cum his*. In utraque Vers. Orient. recte additur *qui in eâ* (terrâ) *vivunt*. Fortassis haec verba jam desiderabantur in Cod. Gr.

Vs. 26. *inhabitantium*. E Vers. Aeth. supple *in terra*.

Vs. 29. *intuebar — stabam.* In Ms. Sangerman. legitur *intuebatur super quem stabam super eum.* Utraque lectio vitiosa est. In Vers. Aeth., confirmante Vers. Arab., recte legitur *et locus, in quo stabam, movebatur.* Verosimile mihi videtur, olim in Codd. Lat. etiam lectum fuisse *et movebatur locus, super quem stabam;* sed origo vitii quaerenda videtur in omissâ voce *locus*, et depravatione vocis *movebatur* in *intuebatur*, sicuti etiamnunc in Ms. Sangerm. legitur. His vitiis semel in Codd. obviis, dein fuit, nescio quis, qui conaretur obscuram sententiam *et intuebatur, super quem stabam* explicare, addens *super eum*: haec enim verba dein addita esse, docet Ms. Sangerm.; nam, quamvis emendator ille haec verba ad *intuebatur* referre voluerit, ea tamen in margine tantum posuit; postea vero e margine ad finem huius versus in textum sunt recepta, atque inde orta est lectio Ms. Sangerm. *et intuebatur, super quem stabam, super eum*, hoc sensu: *et intuebatur super eum, super quem stabam.* Haec tandem lectio dein mutata esse videtur in eam, quae hodie in textu edito occurrit.

Vs. 30. *tempus venturae noctis.* In Vers. Aeth. recte legitur *prouti et in praecedente nocte.* Lectio, in Vers. Lat. recepta, emendata fuisse videtur ex aliâ lectione, quae e Graeco textu depravato fortasse orta fuit, eaque etiamnunc occurrit in Ms. Sangerm., in quo legitur *et venturâ nocti.*

Vs. 31. *per diem, quam audivi.* Haec verba in utrâque Vers. Orient. desunt: fortasse mutanda sunt in *quae interdiu audivi*, cf. Cl. v. D. PALM ad h. l.

Vs. 38. *opus perfectum.* In Ms. Sangerm., consentiente Vers. Aeth., melius legitur *opus perfecit.*

Vs. 41. *Et die secunda.* In AMBROSII *libro* 2° *de spiritu sancto* c. 6 t. 2 col. 643 d., ubi hic locus citatur, verbis laudatis additur *iterum*, convenienter cum Vers. Aeth. Veri igitur simile est, hoc vocabulum e Codd. Lat. excidisse: idemque observandum videtur in versu mox sequenti, in quo, post verba *et tertia die*, similiter *iterum* addendum est secundum Vers. Aeth.

Vs. 42. *ut ex his — culta.* Haec verba vix intelligi possunt. Optime in Vers. Aeth. legitur *ut in his ararent et seminarent et viverent coram te.* Valde probabile est, Cod. Gr., quo usus sit Latinus, jam fuisse corruptum.

Vs. 48. *jubebantur.* Lege *jubebatur.*

Vs. 49. *uni.* Lege *unius.* Pro *Henoch,* quod etiam vs. seq. 51 occurrit, lege *Behemoth.*

Vs. 50. *ea.* Lege *eas.* Interpres in errorem inductus est per Gr. *ταῦτα,* praecedente voce *ζῶα.*

Vs. 51. *siccata est.* Praeponendum est vocabulum *quae.*

Vs. 52. *eam, ut fiat.* In Vers. Aeth. melius legitur, Deum *utrumque* animal eo consilio servare.

Vs. 55. *quia — saeculum.* In Ms. Sang. his verbis melius praeponitur *quoniam dixisti*, quae vocabula in Vers. Aeth. etiam occurrunt.

Vs. 58. *aemulatorem.* In Vers. Aeth. melius legitur *quem amo.* Fortasse Latinus pro *ζηλωτόν*, sicuti Aethiops legisse videtur, perverse legit *ζηλωτήν.*

CAP. VII.

Vs. 4. *Erit.* Lege *est*, consentiente Aethiope, et suadente oratione contextâ.

Vs. 5. *Et videre — eius.* Pro *eum* legendum videtur *eam*, Gr. *αὐτήν*, nempe *θάλασσαν*; Interpres igitur more suo inhaesit literis textus Graeci. Pro *dominari ejus* in Vers. Aeth. melius fortasse legitur *invenire illud*, nempe mare.

Vs. 12. *fulti.* Videtur legendum esse *multi.*

Vs. 13. *majoris.* Recte Cl. v. d. Palm conjecit, legendum esse *melioris.* E contexta enim oratione patet, h. l. sermonem esse de mundo futuro, quem sensum etiam praebet Vers. Arab. In Vers. Aeth. solummodo legitur *Et hic mundus* sqq.; intelligi tamen mundum futurum e contextu satis patet.

Vs. 20. *Pereunt.* In Ms. Sangerm., consentiente Vers. Aeth., melius legitur *pereant.*

Vs. 23. *circumventiones delictorum.* In Vers. Aeth. melius legitur *fraudem et iniquitatem.* Idcirco legendum conjicio *circumventiones et delicta*, nisi Cod. Gr. jam corruptus fuerit.

Vs. 26. *et apparebit* sqq. In Vers. Aeth. recte legitur *et abscondetur civitas*, *quae nunc apparet*, *et apparebit terra*, *quae nunc absconditur.* In Ms. Sangerm., post *apparescens*, legitur *civitas*, quocirca puto, genuinam lectionem Versionis Latinae hanc fuisse: *Et subducetur apparescens civitas et ostendetur*, *quae nunc subducitur*, *terra.* Pro *subducetur* autem librarius per errorem scripsisse videtur vocabulum plane oppositum *apparebit;* ac vocabulo *et* perverso loco ante *apparescens* posito, nomen *civitas*

e Cod., e quo editus est textus Latinus, evanuit. Quum igitur legeretur *et apparebit et apparescens*, scriba, memor Apocal. Joh. XXI. 12, facile inseruit vocabulum *sponsa*. Emendationem nostram confirmat locus V. 3. Cff. quae ibi diximus.

Vs. 28. *filius meus Jesus.* Sic jam Ambrosius hunc locum in Codd. scriptum invenit, uti patet ex iis, quae ad Luc. II. 21 observavit. Vocabulum vero *Jesus* a Christiano aliquo dein insertum esse, patet e Vers. Aeth., in qua illud desideratur; nec a scriptore Iudaeo proficisci potuit: cff. quae supra de Cap. I. et II. atque XV. et XVI. observavimus. — Ib. *jucundabuntur.* In Ms. Sang. legitur *jocundabit*, quam lectionem confirmat Aethiops. — Ib. *relicti sunt.* In Vers. Aeth. melius legitur *resuscitati sunt*, nam haec erat apud Iudaeos opinio, fore ut pii tantum, in vitam revocati, cum Messiâ per aliquod tempus una vivant, atque summâ felicitate fruantur, antequam ultimum de omnibus hominibus, piis aeque atque impiis, adesset judicium.

Vs. 30. *sicut in prioribus judiciis.* In Vers. Aeth. legitur *sicut prius:* idcirco vocabulum *judiciis* h. l. sumendum est pro *decretis*, *ordinationibus*, Gr. *δικαιώμασι.* Sensus enim est: Deus denuo mundo quietem praebebit, sicuti olim, secundum priora sua decreta, fecit ante mundum conditum.

Vs. 35. Post hunc versum plurima desunt: cff. quae supra p. 20 hac de re monuimus.

Vs. 37. *Achaz.* In editione Vers. Lat., quae occurrit in FABRICII *Cod. Pseud. V. T.* II. p. 243, recte legitur *Achani* (cf. Jos. VII. 1 sqq.); in Vers. tamen Aeth. similiter legitur *Achaz.*

Vs. 41. *et oraverunt.* Voculam *et* ejice: orta esse videtur e praecedenti *est.*

Vs. 42. *praesens* — *manet.* Vers. Lat. valde mutilata est, et plurima e Vers. Aeth. sunt supplenda. Textum igitur Latinum sic restituendum esse censeo: *Praesens saeculum non*DUM *est fini*TUM, *gloria* DEI *in eo* NON EST MANIFESTATA, QUAE *frequens manet.*

Vs. 43. *futurae.* Cum Ms. Sangerm. et Vers. Aeth. potius lege *futuri.*

Vs. 45. *neque demergere, qui vicit.* Praestare videtur lectio Ms. Sangerm. *neque demergere eum, qui vicerit.*

Vs. 50. *perennis spes.* Videtur legendum esse *perennitatis spes.* — Ib. *pessimi vani.* Alterutrum horum vocabulorum ejiciendum esse videtur.

Vs. 52. *tarde.* In Vers. Arab. legitur *in abstinentia*, quae lectio egregium sensum praebet. Fortassis Interpres Latinus in Cod. suo pro ἐν ἐγκρατείᾳ perverse legit ἐν βραδείᾳ: syllaba ἐγ facile omitti potuit, quia praecedit eiusdem soni vocabulum ἐν.

Vs. 54. *In ingratis enim locis.* In Vers. Aeth. melius legitur *nam opus, in quo non laudabimur, fecimus;* in Vers. Arab. *in malis operibus*, quod, sensu tenus, idem est. Graece verosimiliter fuit ἐν ἔργοις γὰρ ἀχαρίστοις; pro ἔργοις vero Latinus male legit χωρίοις. Vocabulum ἀχάριστος h. l. occurrit notione eius, quod ἄνευ χάριτος, nempe θεοῦ, est.

Vs. 55. *abstinentiam.* Vocabulum καρτερία, quod ab Aethiope recte redditum est per ተዐገሥት፡, Latinus perverse accepit de *abstinentiā:* de hac enim sermo jam fuit vs. 52.

Vs. 57. *certaminis.* In utraque Vers. Orient. recte

legitur *huius mundi:* pro αἰῶνος Latinus in Cod. Gr. perverse legit ἀγῶνος.

Vs. 60. *sed nec.* Bis in hoc versu sic legitur; vocabulum autem *sed* ejiciendum esse, jam viderunt Junius et Tremellius. Fortasse in Gr. Cod. utroque loco perverse lectum fuit οὐτὲ δὲ pro οὐτὲ.

Vs. 61. *Quoniam non esset.* In Vers. Aeth. melius legitur *et non est:* nam quae post *quoniam* sequuntur, minime reddunt causam eorum, quae praecesserunt, nec *quoniam* h. l. pro *quod* vel *accusativo cum infinitivo* poni potuit ob praecedentem vocem *locutus sum:* hic enim versus ab ea voce non dependet. Fortasse Cod. Gr. jam depravatus fuit. — Ib. *in perditionem.* In Vers. Aeth. melius legitur *de perditione.* Fortasse legendum est *in perditione.*

Vs. 67. *inhaereditabunt.* Lege *inhabitabunt*, suadente Vers. Aeth.

Vs. 68. *Et donat.* In Ms. Sangerm., convenienter cum Vers. Aeth., legitur *et donator.*

Vs. 69. *curati sunt.* Lege *creati sunt*, consentiente Vers. Aeth. — Ib. *contentionum.* In Vers. Aeth. melius legitur *Apostatarum.*

C A P. VIII.

Vs. 2. *Quomodo autem.* Post haec verba quisque exspectat *si* vel *quando:* fortasse tale vocabulum e Codd. excidit. *Quomodo* h. l. sumendum est pro *quemadmodum.*

Vs. 4. *Absorbe* sqq. Hic locus, uti e Vers. Aeth.

patet, corruptus est. Graece probabiliter fuit *πίνοι ἡ ψυχὴ νοῦ καὶ ἔδοιτο τὸ οὖς σοφίας.* Latinus autem vel neglexit, vel in eius Codice defuerunt vocabula *τὸ οὖς*, quo factum, ut *σοφίας* reddiderit *quod sapit.*

Vs. 5. *Convenisti.* In Vers. Aeth. 3ª persona adhibetur, utraque tamen lectio defendi potest. — Ib. *prophetare volens.* In Vers. Aeth. melius legitur *venit ad quod nolo.* Graece verosimiliter fuit *προέβη εἰς ὅ μὴ θέλω,* pro quibus Latinus male legit *προφητεύειν θέλων.*

Vs. 6. *si non permittes.* Pro *non* legendum est *nunc*, nisi cum Ms. Sang. et Vers. Aeth. illam vocem ejicias. — Ib. *qui portabit locum hominis.* Hic locus valde corruptus est. Primum *qui* depravatum fuisse videtur in Codd. Lat. pro *quo* i. e. *ubi*, dein pro Gr. *ἡ γῆ τόν υἱόν τοῦ ἀνθρώπου* Latinus probabiliter legit, omissis verbis *ἡ γῆ, τόπον τοῦ ἀνθρώπου; quo* autem facile in *qui* depravatum fuit, ut sic saltem hicce locus aliquem sensum praeberet.

Vs. 7. *Solus enim es.* Pro *ὅμοιοι γάρ ἐσμέν,* uti Aethiops legit, et contexta oratio legendum suadet, Latinus in Cod. Gr. procul dubio invenit *μόνος γὰρ εἶς.*

Vs. 8. *Et quomodo — corpus.* In Ms. Sangerm. hic locus sic legitur: *Et quoniam vivificas nunc in matrici* (l. matrice) *plasmatum corpus.* Haec lectio melius convenit cum Vers. Aeth., in qua legitur: *nam creatum est nunc in matrice, quod in eâ factum fuit, corpus* (cff. quae ad h. l. monuimus), et contexta oratio eam simul vindicat. Auctor enim sic ratiocinatus est: si permittis, ut oremus coram te, atque si nobis das semen, quod in corde seramus, et sensum, quo colamus semen illud in corde, (jam ante vs. 8

subintellige: hoc a te peto, ut mihi explices,) quoniam vivificas nunc in matrice plasmatum corpus sqq. usque ad vs. 14, in quo hanc conclusionem facit: non capio, quam tandem ob causam tantâ cum curâ hominem enutrias, quem dein perdas, ideoque omnem illam operam perditam facias. — Verba igitur, quae a vs. 8—14 leguntur, intermediam sententiam efficiunt, quâ auctor suae quaestionis causam reddit. — Ib. *membra.* In Vers. Aeth. egregie additur *et das ei cor*, quae verba fortasse jam deërant in Cod. Gr. — Ib. *et novem mensibus — creata est.* In Vers. Aeth. melius legitur *et novem mensibus gestas* (lege *gestare facis*) *hoc, quod creatum est* cet. Textus Graecus probabiliter sic se habuit: *καὶ ἐννέα μήνων ὑπομένεις τὸ πλάσμα σοῦ τὸ ἐν αὐτῇ κεκτίσμενον.* Pro *τὸ πλάσμα σοῦ* alius ad marginem notavit *τὴν κτίσιν σοῦ*, quae verba dein post *τὸ πλάσμα σοῦ* in textum sunt recepta, hisce verbis in nominativo sumtis, quo factum, ut *ὑπομένεις* mutatum sit in *ὑπομένει*, et verba *τὸ — κεκτίσμενον*, propter praecedentem vocem *κτίσιν*, in *τὴν — κεκτίσμενην.*

Vs. 9. *Ipsum — servataque.* In Vers. Aeth. legitur *et conservatur* (nempe *τὸ πλάσμα σοῦ*) *verbo tuo*, quae verba germanam lectionem praebere mihi videntur. Graece ergo fuit *τοῦτο δὲ σώζεται τῷ λόγῳ σοῦ.* Jam vero in Cod. Gr., quo usus est Latinus, interposita erant ab aliquo librario, qui interpretem agere voluerit, post *τοῦτο δὲ* sequentia: *ὃ σώζει* (nempe *ἡ μήτρα*) *καὶ ὃ σώζεται* (nempe *τὸ πλάσμα*) *ἀμφότερα;* quae verba, postquam in textum irrepserant, necessario effecerunt, ut pro *σώζεται* legeretur *σώζονται* vel propter soni similitudinem male *σώσονται.* Verba vero *τῷ*

λόγῳ σοῦ depravata fuisse videntur in *σώζομενα*. *Que* autem, voci *servata* adjectum, tanquam spurium ejiciendum est cum Ms. Sangerm.

Vs. 10. *enim*. Hoc vocabulum cum Vers. Aeth. ejiciendum est: in textum insertum fuisse videtur, postquam in praecedente versu depravatio orta erat. — Ib. *hoc est mamillis*. Haec verba redolent glossema, ad explicandum vocabulum *membris*, mox praecedens, additum; illa autem jam pridem in Codd. Gr. affuisse, docet Vers. Aeth., in qua etiam occurrunt, sed alio loco posita. — Ib. *fructui*. Lege *fructum*.

Vs. 13. *Et mortificabis — tuum*. In Vers. Aeth. melius sic legitur: *et postea interficis eum*, *quem creasti et vivificasti*, *opus tuum;* de resurrectione enim e morte h. l. sermo esse non potest, uti e vs. mox sequenti patet; quae tamen sententia e textu Latino facile elici posset. Idcirco pro *et vivificabis eum* legendum erit *et quem vivificasti*, nisi vitium jam in Cod. Gr. affuerit.

Vs. 14. *tuo jussu — servaretur*. In Vers. Aeth. habetur *quare ergo creasti eum*, quam lectionem confirmat etiam Vers. Arab., et haecce praestare videtur, quia continet apodosin sententiae, quam a verbis *si ergo* hoc versu auctor inceperat; haec autem apodosis deest in Vers. Lat. Probabiliter verba, quae nunc in textu Latino leguntur, glossema sunt, ad marginem Codicis adscriptum ab aliquo, qui admonere vellet, nihil Dei potestate superius esse. Vera autem auctoris verba, quae etiamnum in utrâque Vers. Orient. occurrunt, e Codd. Latinis exciderunt, et glossema illud eorum locum in textu occupavit. Fieri tamen potuit, ut in Cod. Gr., quo usus sit Latinus, haec depravatio locum jam obtinuerit.

Vs. 18. *celeritatem.* Probabiliter pro hac voce legendum erit *severitatem*, nam Ezra ab Angelo audiverat, multo plures perituros esse, quam servatum iri, et h. l. in eo occupatus est, ut misericordiam imploret a Deo erga populum Judaicum.

Vs. 20. *Initium — assumeretur.* Haec verba, quamvis in Vers. Aeth. etiam occurrant, pro spuriis habenda sunt. Procul dubio olim in margine scripta sunt ab aliquo, qui lectores monere voluerit, jam incepisse Ezram precari. Recte igitur desiderantur in Vers. Arab., eaque spuria esse, patet etiam ex eo, quod in his de Ezra sermo est in 3ª personâ, in iis vero, quae praecedunt et sequuntur, Ezra de se ipse in 1ª personâ loquitur. — Ib. *in superna.* Sequens vocabulum *aere* suadet, ut legatur *in superno.* In Ms. Cod. Vaticano hic locus sic legitur: *cuius oculi elati et superiores in aëre;* cf. ed Sabatier. ad h. l. Post haec verba in Vers. Aeth. additur *qui existis in coelo*, quae fortasse in Vers. Lat. per oblivionem omissa sunt, nisi jam in Cod. Gr. defuerint.

Vs. 22. *servatio.* Cl. v. d. Palm ingeniose conjecit, legendum esse *servitio;* fortasse tamen cum Ms. Vaticano et Breviario Mozarabico (cf. ed. Sabatier. ad h. l.) legendum erit *observatio*, quae lectio etiam occurrit in Bibliis Junii et Tremellii. — Ib. *verbum verum.* Pro voce *verum* in Ms. Vaticano., Breviar. Mozar. et Bibliis Ecclesiae Aniciensis (cf. ed. Sabatier. ad h. l.) convenienter cum Vers. Aeth. legitur *firmum.*

Vs. 27. *Nec intendas — studia.* Cum Bibliis Eccles. Anic. et Breviar. Mozarab. potius legendum videtur *adtendas*, nisi legere malis *intendas in*, ut praepositio *in*, propter sequentem syllabam *im*, omissa sit.

Cum iisdem, pro *impia gentium*, legas *impie agentium*, consentiente utrâque Versione Orientali. Tandem pro voce *studia*, in utrâque Vers. Orient. legitur *opera*, quod praeferendum mihi videtur. Probabiliter Graece fuit *ἐπιτήδευματα*, quo vocabulo in LXX. utraque notio exprimitur: cf. SCHLEUSNERI *Thes. Phil. Cr.* h. v.

Vs. 30. *qui semper — gloria.* In Ms. Sangerm., Ms. Vatic., Breviar. Mozarab. et Bibl. Eccles. Anic. legitur *qui semper in gloria tua confiderunt:* quae lectio praeferenda videtur, confirmante etiam Vers. Aeth.

Vs. 31. *talibus morbis languemus.* In Vers. Aeth. recte legitur *opus mortale fecimus;* et similiter etiam olim in Vers. Lat. lectum fuisse, e codicum et textus editi discrimine patere mihi videtur. Puto igitur olim lectum fuisse *mortalia opera egimus:* vox *egimus* legitur in Ms. Sangerm., Breviar. Mozar. et Bibliis Eccles. Aniciens.; hoc tamen dein in *regimur* fuit depravatum, uti patet e Ms. Vaticano, in quo etiamnum haec lectio exstat; hac lectione in textum receptâ, necesse erat, ut pro *mortalia opera* legeretur *mortalibus operibus*, quae tamen verba depravata sunt in *talibus moribus*, syllabâ *mor* non priori, sed posteriori voci, praepositâ. Haec lectio etiamnum occurrit in Ms. Vatic., Ms. Sangerm., Breviar. Mozarab. et Bibliis Eccles. Anic. Tandem *moribus* depravatum est in *morbis*, quae depravatio simul effecit, ut pro *regimur* substitutum sit *languemus.*

Vs. 37. *aliqua et juxta sermones tuos.* Pro his in Vers. Aeth. recte legitur *secundum veritatem.* Vitium jam affuisse videtur in Cod. Gr. Genuina lectio probabiliter fuit *κατὰ τὴν δικαιοσύνην*, sed vocabulum

κατά, quod ante *τήν* erat omissum, ad marginem adscriptum fuit; regula autem verosimiliter desinebat in verba *δικαι*, quo factum ut a seriori scribâ *κατά*, quod jam continuo post *δικαι* legebatur, sed in margine positum, in textum reciperetur. Quum igitur legeretur *την δικαι κατα οσυνην* facile alter inde conjecit, legendum esse *τινά καὶ καθ' ὅ σὺ φῄς*: nam *ΤΗΝΔΙ* facile in *ΤΙΝΑ* mutari potuisse, quisque, vel me non monente, continuo intelliget.

Vs. 38. *ante* — *ante* — *ante*. Recte in Ms. Sangerm. legitur *aut* — *aut* — *aut*: post *peccaverunt* igitur comma ponendum est.

Vs. 40. *locutus sum*. In Vers. Aeth. recte legitur *locutus es*: cf. vs. 37. Cl. v. d. Palm eandem lectionem etiam proposuit.

Vs. 41. *plantationes multitudinis*. In Vers. Aeth. melius legitur *multas plantas*, idcirco legendum conjicio *plantationis multitudines*.

Vs. 43. *aut non acceperit*. In Ms. Sangerm. melius legitur *non enim accepit*: sensus enim est: quemadmodum semen agricolae, si non adscenderit, quia non accepit pluviam — sic perit. Sequentia verba *aut si* — *pluviae* fortassis ejicienda sunt: desiderantur enim in Vers. Aeth. et commode abesse possunt. Addita fuisse videntur ab aliquo, qui lectores admonere voluerit, semen etiam corrumpi posse nimiâ pluviâ.

Vs. 44. *et similiter* sqq. Tota haec sententia, usque ad finem coli, interrogative sumenda est, uti contexta oratio docet et confirmat Vers. Aeth. Idcirco vocabulum *num* praeponendum erit, ejectâ voculâ *et* ante *similasti*. Fortasse tamen in Cod. Gr. jam deërant verba *ἆρα γέ*.

Vs. 47. *tibi autem* sqq. In Ms. Sangerm. recte legitur *tu autem frequenter te et ipsum proximasti*, modo pro *te et* legas *temet.* Hisce autem verbis subjungendum est sequens vocabulum *injustis*, et comma ponendum post hoc. Post eam vocem excidit *injustus* propter soni vel literarum similitudinem. Hac depravatione semel in Codd. receptâ, vocabulum *fuisti* omissum fuit, quia nullum sensum praebebat. Totam ergo sententiam sic lege: *tu autem frequenter temet ipsum proximasti injustis*, *injustus autem nunquam fuisti.* Haec emendatio confirmatur utrâque Vers. Orient., et vs. 49 mox sequenti.

Vs. 48. *mirabilis.* Cum Vers. Aeth. potius lege *laudabilis.*

Vs. 50. *efficientur.* Cum Vers. Aeth. lege *afficientur.*

Vs. 52. *probata est.* Cum Vers. Aeth. potius lege *prostrata est.* — Ib. *perfecta est bonitas.* In Vers. Aeth. plenius, et fortasse melius, legitur *et exstat benedictio et bonitas.* — Ib. *et perfecta sapientia.* In Vers. Aeth. melius legitur *et excerpta est radix sapientiae.* Vocabulum *perfecta* pro *excerpta* repetita est per errorem, quia mox praecessit. Vox *radix*, a quâ sequens versus incipit, teste Aethiope, ad nostrum versum referenda est, itaque pro *sapientia* legendum erit *sapientiae.*

Vs. 53. Totum hoc colon mire corruptum est, quia vocabula non apte a se invicem separata fuerunt. Lectionem ergo, auctoritate Vers. Aeth. et flagitante oratione contextâ, sic restituendam esse puto: *Signata est a vobis infirmitas et tinea exstincta est*, *a vobis absconsum est infernum*, *fugit corruptio*, *in oblivio-*

nem transierunt dolores. Vocabulum *radix* ad praecedentem versum referendum est, ut jam diximus; postquam vero illud a sententiâ suâ distractum fuit, facile ab hoc illove addebatur *mali.* Praepositio *in* ante *infernum* ejicienda est, quippe orta e bis scriptâ primâ syllabâ huius vocis; et contexta oratio suadet, ut etiam conjunctio *et*, quae ante *in* posita est, omittatur. Reliquae mutationes facillime ortae sunt, sententiâ semel perturbatâ.

Vs. 54. *Transierunt dolores.* Haec verba, uti modo diximus, ad praecedentem versum sunt referenda.

Vs. 62. *Quae non omnibus.* Pro *quae* sine dubio legendum est *quod*, consentiente Aethiope, qui pro *omnibus* habet *multis.* Codices tamen Graeci fortasse jam a se invicem discreparunt.

CAP. IX.

Vs. 1. *in semet.* Cum Ms. Sangerm. et Vers. Aeth. lege *in temet.*

Vs. 3. *motio — turbatio.* Pro his in Vers. Aeth. et Ms. Sangerm. multo plura leguntur: in hoc sequentia habentur: *Motio locorum, gentium cogitationes, ducum inconstantiae, principum turbatio;* in illâ vero sic legitur: *Commotio singularum regionum et gentium conturbationes* (cf. observ. nostr. ad Vers. Aeth.) *et magnatum mutuae caedes et principum obstupefactiones.* Lectionem igitur, in Ms. Sangerm. obviam, textui edito praeferendam esse, vel me non monente, e collatione Versionis Aeth. cuique facile patet.

Vs. 5. *pariter — manifesta.* Haec verba non conveniunt comparationi rerum mundanarum cum rebus Dei, quam auctor h. l. instituit. In Vers. autem Aeth. egregie sic legitur: *sicut omne, quod est in mundo, initium habet cum verbo et finem cum manifestum sit.* Idcirco textum Latinum sic lege: *Sicut enim omne, quod factum est in saeculo, initium habet per verbum et consummationem cum est manifestum.* Ergo pro *pariter* lege *per verbum*, et vocem *consummatio* dele, quippe e repetitione praecedentis vocabuli ortam: postquam hoc vocabulum in textum erat receptum, sponte suâ *manifestum* mutabatur in *manifesta.*

Vs. 6. *manifesta.* Latinus in Cod. Gr. pro ἐν φωνῇ, prouti recte legit Aethiops, perverse scriptum invenit ἐμφανῆ. Vocabula autem *prodigiis* et *signis*, quae mox sequuntur, inter se sunt transponenda, consentiente Vers. Aeth. Auctor nimirum vult, Deum primum res annuntiare verbo, signis et virtutibus (δυνάμεσι), easque res efficere actu et prodigiis.

Vs. 8. *quoniam sanctificavi me.* In Ms. Sangerm., consentiente Vers. Aeth., melius legitur *quae sanctificavi mihi*, modo pro *quae* legas *quos;* in Gr. Cod. legebatur ἃ, quia praecesserat πέρατα.

Vs. 9. *abusi sunt.* In Vers. Aeth. melius legitur *neglexerunt.*

Vs. 12. *non intellexerunt sed spreverunt.* In Vers. Aeth. melius legitur *non intellexerunt me, sed spreverunt me.*

Vs. 15. *et postea dicam.* Haec verba in Vers. Aeth. desunt, et jure abesse possunt: fortasse margini Codicis adscripta fuerunt ab aliquo, qui tempori praeterito et praesenti etiam futurum addere voluit.

Vs. 17. *creatio.* In Vers. utrâque Orient. melius legitur *judicium:* sensus enim est: secundum ea, quae fecit aliquis, judicium de eo erit. Latinus ergo interpres pro κρίσις in Codice suo male legit κτίσις. — Ib. *qualis agricola, talis cultura.* Vocabulum *cultura* vitiosum esse mihi videtur, quia in Ms. Sangerm. et utrâque Vers. Orient. aliud quid legitur, et contexta oratio postulat, ut sermo sit non de *cultura*, sed potius de *fructibus*, e cultura provenientibus. Versionem igitur Aethiopicam praeferendam esse censeo, in quâ sic legitur: *et secundum rationem agricolae est area eius*, i. e. pro paupertate vel divitiis agricolae, area eius vel minorem vel majorem frumenti copiam continet. Haec lectio confirmatur etiam Ms. Sangerm., in quo pro *talis cultura* legitur *talis et atria*, quod sine dubio mutandum est in *talis et area.* Idem vocabulum *area* etiam in Vers. Arab. habetur; in hac tamen sententia paulo aliter legitur.

Vs. 18. *Et nunc — eis.* Textus sine dubio depravatus est. In Vers. Aeth. recte legitur *quem* (nempe mundum) *nunc praeparavi.* Idcirco legendum mihi videtur *et nunc eum* (l. *id*, nempe *saeculum;* sed in Gr. Cod. legebatur *τοῦτον*, quia praecesserat *αἰων*) *fui parans*, voce *eis* deletâ, quippe variante lectione pro sequenti *his;* postquam *eum* in *cum* depravatum fuit, facile *fui* in *essem* commutabatur, nisi legere malis *cum essem parans id*, vocibus *et nunc* deletis. Prior tamen emendatio mihi videtur praeferenda, quippe magis conveniens cum Vers. Aeth. et servili vertendi ratione Interpretis Latini.

Vs. 19. *Tunc enim quisque.* In Ms. Sangerm. legitur *tunc enim erat quisque;* in Vers. autem Aeth.

recte legitur *et nemo erat, qui mihi respondebat, nam nemo erat, prorsus nemo.* Idcirco Versio Latina sic emendanda mihi videtur: *Tunc enim non erat quisque,* i. e. tunc enim nemo erat. — Ib. *creator.* Lege *creati*, prouti sensus postulat et confirmat Vers. Aeth.

Vs. 20. *periculum.* In Vers. Aeth. melius legitur *exitium:* Graece fuisse videtur ὄλεθρος, quam tamen vocem Latinus non recte reddidit *periculum.* Fortassis autem putavit *periculum* (a *pereo*) idem significare quod *exitium.* — Ib. *cogitationes.* Fortasse melius legitur in Vers. Aeth. *opera;* pro ποιήματα ergo Latinus vitiose legit νοήματα.

Vs. 21. *peperci ei valde.* E collatione Vers. Aeth. atque ex ipsâ oratione contextâ patet, ante *peperci* excidisse vocem *non*, nisi jam in Cod. Gr. defuerit. — Ib. *tribu.* In Vers. Aeth. recte legitur *sylva.* Latinus ergo Interpres pro ὕλη perverse legit φυλή.

Vs. 22. *quia.* Lege *quam*, prouti sensus postulat, et confirmatur utrâque Vers. Orient.

Vs. 23. *intromittas.* In Vers. Aeth. legitur *preces fundas*, quae lectio ideo mihi praestare videtur, quia Angelus Ezrae praecipere solet, ut preces fundat, quoties nova apparitio ei annuntiatur: cf. V. 13; VI. 31; utrum autem vitium jam affuerit in Cod. Gr., affirmare non audeam. — Ib. *sed non.* Lege *et*, nam quaeque nova apparitio simul postulabat, ut jejunaret (cff. loci modo laudati): eandemque emendationem confirmat utraque Versio Orient. Hodierna lectio probabiliter ab aliquo inserta est, qui putaret, ea, quae vs. 24 leguntur, ostendere, Ezram haud jejunasse; sed qua in re jejunium istud constiterit, discere potuerat e vs. 24 mox sequenti et e XII. 51.

Vs. 24. *in campum florum.* Vocabulum *florum* deest in Vers. Aeth., et facile e mox sequentibus h. l. inseri potuit: certe non opus est, ut adsit.

Vs. 29. *nobis.* Hoc vocabulum cum Vers. Aeth. ejice: Ezra enim h. l. alloquitur Deum, qui *proavis* Israëlitarum in deserto sese manifestaverat.

Vs. 32. *Nam.* Sensus postulat, ut legatur *et* vel *sed;* hoc in Vers. Aeth. occurrit. — Ib. *legitima mea.* Pro *mea* lege *tua;* pro hac emendatione contexta oratio atque Vers. Aeth. militant. — Ib. *parens.* In Bibl. Junii et Tremellii legitur *fructus vero legis non periit*, quod sensu tenus recte sese habet; quare lege cum Ms. Sangerm. et Vers. Aeth. *periens.*

Vs. 35. *exterminantur — manent.* In vs. 34 praecedit conjunctio *ut:* idcirco legendum erit *exterminentur — maneant.*

Vs. 44. *et annos.* Cum Vers. Aeth. vocabulum *et* eliminandum esse puto.

Vs. 45. *ancillam tuam.* Pro *tuam* cum utrâque Versione Orientali lege *suam.*

CAP. X.

Vs. 2. *lumina.* Post hanc vocem in Vers. Aeth. additur *et mansimus flentes*, quae verba egregie cum contextâ oratione conveniunt.

Vs. 5. *cum iracundia.* In Vers. Aeth. haec verba desiderantur. Fortassis inserta sunt ab aliquo, qui e vs. mox sequenti conjecit, Ezram h. l. irasci.

Vs. 6. *non vides.* Legitur interrogative *nonne vi-*

des in AMBROSII lib. I. *de Excess. Satyr.* t. 2. col. 1131 c., ubi noster locus citatur, quod confirmat Vers. Aeth.

Vs. 7. *et luget.* Ambrosius l. l. habet *et lugete* (quamquam in ed. Rom. legitur *et luget*). Idcirco legendum conjicio *et luge tu*, quae lectio melius convenit cum Vers. Aeth. et contextâ oratione. Post mox sequens *validissime* e vs. 8 adjice *nunc*, voculâ *et* deletâ, et post *nunc* comma pone.

Vs. 8. *quoniam omnes contristati sumus.* Ambrosius l. l. eadem verba etiam excitavit, at vel sic tamen ejicienda mihi videntur, quia sententia, quae his verbis continetur, in mox praecedentibus vocibus jam est comprehensa, quarum varians esse lectio videtur, utrâque lectione per errorem in textum receptâ.

Vs. 10. *ex ipsa.* In Vers. Aeth. melius legitur, confirmante vs. 9, *super eam.* Fortassis Interpres Latinus pro ἐφ' ἧς perverse legit ἐξ' ἧς.

Vs. 13. *evenit.* Sic legitur in ed. Sabatierii, pro quo tamen melius in FABRICII *Cod. Pseud. V. T.*, II. p. 263, habetur *vènit*, confirmante Vers. Aeth.

Vs. 14. *ei*, *qui fecit eam.* In Vers. Aeth. his vocabulis recte praeponitur: *propter fructum*, *quem dedit:* fortassis in Cod. Gr. defectus jam affuit. Tota tamen haec sententia: *propter fructum*, *quem dedit ei*, *qui fecit eam*, suspecta mihi videtur: fortassis ab aliquo inserta est, qui lectores admonere voluerit, omnes fructus, qui in terra crescunt, originem ducere e fructu, quem, tempore creationis mundi, Deus in terrâ crescere fecit: sine ullo damno ea sententia h. l. omitti potest.

Vs. 16. *terminum Dei.* In Vers. Aeth., in quâ

additur *qui tibi adjuvabit*, pro iis vocibus tantummodo legitur *Deum*. Fieri potest, ut discrepantia jam in Codd. Gr. affuerit. Pro *terminum* fortasse legendum est *judicium:* cff. dicta nostra ad Vers. Aeth. — Ib. *consilium suum*. Lege *filium tuum*, consentientibus utrâque Vers. Orient., Ambrosio et Ms. Sangerm. — Ib. *talibus*. Cum Vers. Aeth. atque Ambrosio lege *in mulieribus*.

Vs. 20. *hunc sermonem*. Sine dubio legendum erit *secundum hunc sermonem*, nisi *κατά* jam in Cod. Gr. defuerit. — Ib. *persuadenti*. In AMBROSII l. l. *de excess. Sat.* t. 2 col. 1132 b., legitur *persuaderi:* quam lectionem confirmare videtur Ms. Sangerm., in quo habetur *persuadere;* textus tamen editus defendi potest.

Vs. 21. *et templum — est*. Haec verba procul dubio sunt delenda, quippe ab aliquo ad marginem adscripta, qui vocabulum *sanctificatio*, de *templo* haud vulgo usurpatum, eâ ratione explicare voluit: desiderantur etiam in Vers. Aeth.

Vs. 22. *pene prophanatum est*. Vocabulum *pene* fortassis e textu ejiciendum est, tanquam ad marginem adscriptum ab aliquo, qui putaret, Deum curasse, ut nomen suum non plane profanatum sit in captivitate Babylonicâ. Pro nostrâ conjecturâ militat Vers. Aeth. De nomine Dei profanato loqui etiam videtur auctor IV. 25. Ceterum pro *invocatum*, quod mox praecessit, in Ms. Sangerm. et Ambrosii l. l. habetur *nominatum est*, quod fortasse praeferendum est.

Vs. 23. *signaculum — sua*. Haec lectio procul dubio vitiosa est. In Vers. Aeth. melius legitur *signata est Sion, et exiit ex ea gloria eius*. Versio La-

tina fortasse sic emendanda est: *quoniam signaculum Sion resignatum est de gloria sua.*

Vs. 25. *et species, coruscus.* Hic locus in Vers. Aeth. melius sic legitur: *et tanquam species fulguris fiebat species eius.* Pro εἶδος ἀστραπῆς Latinus male legisse videtur εἶδος ἀστράπτον. *Coruscus* autem vitiose legitur pro *corusca;* hocce vitium ortum est, postquam, post vocem *species*, comma positum fuit, et *corusca* ad *visus* referebatur. — Ib. *ad eam.* Post haec verba e Vers. Aeth. inserenda sunt sequentia: *appropinquare, et perturbatum fuit cor meum*, et post sequentem voculam *et* insere *eum.* Fieri tamen potest, ut Cod. Gr., quo usus sit Latinus, jam depravatus fuerit.

Vs. 27. *aedificabatur.* Suadente Vers. Aeth. et versu 44 lege *aedificata.* — Ib. *de fundamentis magnis.* Suadente Vers. Aeth. et oratione contextâ, lege *fundamentorum magnorum.* Vitium sic exstitisse videtur: postquam scriba aliquis vocem *demonstrabatur* jam scripserat, eandem denuo scribere incepit, sed, syllabâ *de* jam scriptâ, errorem animadvertit, eam vero delere neglexit; quocirca alius quis, in Codice scriptum videns, *de fundamentorum magnorum*, hoc vitiosum putavit pro *de fundamentis magnis.*

Vs. 28. *quoniam ipse me fecit.* In Vers. Aeth. melius legitur *quare ita me fecisti.* Discrimen facile e Graeco διότι αὐτός ἐμὲ πεποίηκε pro διὰ τί οὕτως ἐμὲ πεποίηκας explicari potest. — Ib. *in multitudine — huius.* Lege *in multitudinem excessus mentis huius*, postquam litera *m* in *in* depravata fuit, facile ex *excessus* factum est *excessu.* Conjecturam nostram comprobat vocabulum *huius*, quod ad genitivum *excessus* referendum est.

Vs. 29. *ecce venit ad me.* In Ms. Sangerm. recte legitur *et ecce venit ad me Angelus*, *qui in principio venerat ad me*, consentiente utrâque Vers. Orient.: Scriba per oculorum aberrationem, postquam *ad me*, quod primo loco legitur, scripserat, continuavit, scribendo ea, quae post *ad me*, quod secundo loco occurrit, sequuntur.

Vs. 32. *et video.* Haec verba desunt in Vers. Aeth. et delenda etiam videntur in Vers. Latinâ. Probabiliter addita sunt ab aliquo, qui e sequentibus conjecit, urbem hanc in campo adhuc adesse, quum Ezra cum Angelo loqueretur.

Vs. 34. *tu in me.* Nisi *in* h. l. sit pro *ad*, cum Vers. Aeth. pro *tu in me* potius legam *tamen*, commate post *meus* posito.

Vs. 35. *quae non sciebam.* In utrâque Vers. Orient. melius legitur *quae non vidi*, nempe *antea* (haec vox in Vers. Arab. revera additur): quocirca probabiliter legendum erit *quae non videbam.*

Vs. 40. *visionis.* In utrâque Vers. Orient. legitur *mulieris*, idemque vocabulum in Vers. Latinâ legendum esse docent versus sequentes.

Vs. 41. *inchoasti.* Ante hanc vocem insere *et*, docente Vers. Aeth. et oratione contextâ.

Vs. 42. *aedificari.* Lege *aedificata* (cf. vs. 44), approbante Vers. Aeth.

Vs. 44. *et quoniam dixit tibi.* Haec verba h. l. delenda sunt. Postquam jam scripto erant mandata, scriba animadvertit, se nonnulla omisisse, quae continuo addidit; neglexit tamen illa verba delere.

Vs. 45. *anni scilicet triginta.* In Ms. Sangerm. legitur *anni saeculo jjj*, ubi pro *saeculo* legendum

videtur *saecula.* Idcirco *scilicet* depravatum puto pro *saecula,* et legendum igitur esse *anni saecula triginta.* Sic convenit textus Latinus cum Vers. Arab. et cum temporis computatione inde a mundo creato. Vitium facile oriri potuit ex ignorantiâ scribae putantis, h. l. etiam legendum esse *triginta annos*, quia mulier illa dixerat, se triginta annos sterilem fuisse, et deinde apparebat, eandem esse Sionem.

Vs. 46. *triginta.* Similiter h. l. lege *ter mille*, quam lectionem confirmare videtur Ms. Sangerm., in quo pro *triginta* legitur *tres*, omissâ voce *mille.*

Vs. 50. *ostendit.* Ante hoc vocabulum insere voculam *et*, flagitante oratione contextâ.

Vs. 59. *visiones supremorum.* In Ms. Sangerm. legitur *visiones somniorum*, quae lectio contextui melius convenit, et pro quâ etiam militat Vers. Aeth. — Ib. *novissimis diebus.* Lege *in novissimis diebus.*

CAP. XI.

Vs. 1. *Et vidi.* Ante *vidi* in utrâque Vers. Orient. additum legitur *in secunda nocte:* fortasse haec verba jam deërant in Cod. Gr.

Vs. 2. *colligebantur.* Post hoc vocabulum in Vers. Aeth. recte additur *nubes super eum*, quâcum consentit Vers. Arab.: idcirco e Codd. Lat. excidit, nisi jam defuerit in Cod. Gr.

Vs. 17. *tenebit.* In Vers. Aeth. recte additur post hoc vocabulum *eam*, nempe *terram.*

Vs. 19. *aliis.* In Ms. Sangerm. legitur *avis.* Pro-

babile videtur, legendum esse *alis*, consentiente Vers. Aeth.

Vs. 20. *a dextera parte.* Contexta oratio postulat, ut legatur *a sinistra parte.* Vitium tamen videtur in Codd. Graecis jam affuisse, nam occurrit etiam in Vers. Aeth.

Vs. 23. *duo capita.* Legendum est *tria capita*, sicuti contexta oratio docet: in Vers. Aeth. numeri vocabulum deest.

Vs. 24. *sex pennaculis.* Sic legitur in ed. Sabatierii; in Ms. Sangerm. praepositio *de* recte praeponitur voci *sex;* eademque lectio occurrit in *Cod. Pseudep. V. T.* II. p. 271.

Vs. 27. *Et — comparuerunt.* In Ms. Sangerm. pro *comparuerunt* legitur *apparuit:* inde patet, genuinam textus Latini lectionem fuisse *Et secunda velocius quam prior non apparuit:* pro hac militant oratio contexta et Vers. Aeth. Postquam *secunda* depravatum erat in *secundae*, reliqua vitia facillime oriebantur.

Vs. 30. *quoniam completa sunt.* In Ms. Sangerm. melius legitur *quomodo complexa est capita secum. Complexa* vero pro *complexum* ex Interpretis negligentiâ ortum est: nam in textu Graeco femininum genus adhibitum fuit, quia praecesserat κεφαλή. Pro eâdem lectione pugnat Vers. Aeth.; sensus enim est: caput illud majus duo alia capita secum adscivisse.

Vs. 37. *concitatus.* In Vers. Aeth. melius legitur *suscitatus est.* Fortasse pro ἠγέρθη Latinus male legit ἐγερθείς.

Vs. 39. *per eos.* Lege *per ea.*

Vs. 40. *quartus.* Lege *quartum.*

Vs. 42. *fructificabant.* In Vers. Aeth. melius le-

gitur *justorum:* idcirco legendum conjicio *justificabant*, i. e. *justitiam faciebant.*

Vs. 44. *superba tempora.* Pro *superba* legendum videtur *superiora.* Auctor igitur vult, Deum tum temporis respexisse tempora praeterlapsa, et ecce, jam ad finem pervenerat tempus mundi constitutum. — Ib. *scelera eius.* Cum Ms. Sangerm. lege *saecula eius*, nempe *mundi.*

CAP. XII.

Vs. 2. *et non comparuerunt — erectae sunt.* Haec verba cum contextâ oratione minime conveniunt, sed recte in Vers. Aeth. habetur: *periit* (nempe *caput illud*) *et erectae sunt alae illae, quae ad id* (nempe *caput*) *transierunt.* In Ms. Sangerm. legitur *Et non comparuerunt quatuor alae, duaeque ad eum transierunt*, quae verba similiter depravata mihi videntur. Textum sic restituendum esse opinor: Et ecce, quod superaverat caput, *non comparuit, et alae duae*, *quae ad id transierunt*, *erectae sunt.* Aliquis, voculam *et* ante *comparuit* legens, hoc verbum ad sequentia retulit, et mutavit in *comparuerunt.* Vocabulum *quatuor* ab aliquo, verborum sensum non intelligente, e praecedentibus insertum fuisse videtur: pro *ad eum*, quod in Ms. Sangerm. legitur, antiquitus probabiliter lectum fuit *ad eam* (nempe κεφαλήν).

Vs. 3. *vigilavi.* Lege *evigilavi*, sicuti habetur in Vers. Aeth.; propter praecedentem literam *e*, eadem facile h. l. excidere potuit.

Vs. 8. *mihi*. Hanc voculam cum Vers. Aeth. ejice, nisi in Cod. Gr. eadem jam addita fuerit, ad explicanda verba *servo tuo*.

Vs. 12. *quoniam*. Cum Ms. Sangerm. lege *quomodo*, consentiente Vers. Aeth.

Vs. 13. *ante eum*. Lege *id*. Pro *eum* olim probabiliter lectum fuit *eam*, nempe *βασιλείαν*.

Vs. 15. *Nam secundus*. In Vers. Aeth. melius legitur *qui secundus*. — Ib. *prae*. Consentiente Vers. Aeth. et flagitante oratione contextâ pro hoc vocabulo lege *e*, nisi post *prae* supplendum sit *uno e*.

Vs. 18. *post tempus*. In Vers. Aeth., convenienter cum iis, quae vs. 17 leguntur, habetur *e medio*. Fortasse vitium jam affuit in Cod. Gr. — Ib. *in suum initium*. In Vers. Aeth. legitur *in ditionem suam*. Graece verosimiliter fuit *εἰς τήν ἀρχήν αὐτῆς*; vocabulum autem *ἀρχήν*, quod Aethiops recte cepit de *imperio*, Latinus perverse reddidit *initium*.

Vs. 21. *Appropinquante — medio*. Haec verba pertinent ad praecedentem sententiam, in fine versus 20 occurrentem: idcirco post *medio* punctum pone, et vocabulum *autem*, quod in hac sententiâ perverse legitur, subjunge voci *quatuor* mox sequenti. — Ib. *tempus eius*. Pro *eius* lege *eorum*, nam referenda est haec vox ad *quatuor*.

Vs. 23. *tria regna*. In utrâque Vers. Orient. melius legitur *tres reges*, quam lectionem confirmant etiam versus 24 et 25 mox sequentes. Fortassis in Cod. Gr. pro *βασιλεῖς* jam perverse lectum fuit *βασιλείας*. — Ib. *revocabit*. Lege *renovabunt*, consentiente Vers. Aeth.: sequens vocula *ea* (Gr. *αὐτῃ*, nempe *βασιλεία*) Interpretis vitio pro *eo*, nempe *regno*, scripta est.

Vs. 29. *super caput.* E cap. XI. 24 patet, legendum esse *subter.*

Vs. 31. *Sicut vidisti.* Auctoritate utriusque Vers. Orient., et approbante contextâ oratione, haec verba referenda sunt ad finem praecedentis coli et post ea punctum ponendum.

Vs. 32. *ad eos et impietates ipsorum.* Pro his verbis, satis obscuris, multo plura, eaque sententiae egregie convenientia, leguntur in vers. Aeth. *e semine Davidis, et ille est, qui exiet, et veniet ad eos, et dicet ad eos impietates eorum.* Idcirco puto, verba *e semine* — *dicet* e Codd. sive Lat. sive Gr. excidisse, et postquam haec lacuna semel exstiterat, voculam *et* vel *καὶ* insertam esse, ut tandem sententia aliqua exsisteret. — Ib. *incutiet coram ipsis discerptiones eorum.* In Ms. Sangerm. legitur *et infulcit coram ipsis spretiones.* In Vers. autem Aeth., quacum Arabicam plane convenire Laurence ad h. l. notavit, legitur *et coacervabit voluntatem eorum coram iis*, quae lectio optimum sensum praebet, et confirmatur C. XIII. 41 Vers. Aeth., dummodo vocabulum *voluntatem* ortum censeas e vitiosâ lectione, in Cod. Gr. obviâ, in quo Aethiops legit *βούλημα* pro *ποίημα,* quod ibi ab initio certe lectum fuit; cf. XIII. 41. Latinus autem alia nonnulla legit, quae, sensu tenus non ita diversa, vocabulis tamen quam maxime discrepabant ab iis, quae in Cod. Gr. legit Aethiops. Nam pro *συναθροίσει ἐναντίον αὐτῶν τό βούλημα* (l. *ποίημα*) *αὐτῶν,* Latinus invenisse videtur in Cod. suo *ἐπιπλήξει ἐναντίον αὐτῶν τοῦς διασπασμούς αὐτῶν.* Hic tamen *ἐπιπλήξει* perverse reddidit *incutiet*, cogitans notionem verbi *πλήσσειν.* Sensus tamen postulat, ut reddatur *objurgabit;* per *discer-*

ptiones ergo intelligendae sunt *ruinae* et *calamitates*, quas reges isti per terram sparsuri erant. Versionis autem Aethiopicae sensus est: Messiam opus eorum (malum) coram ipsis esse coacervaturum: quae dicendi ratio valde convenit cum iis, quae in Vers. Lat. leguntur: Messiam iis exprobraturum esse calamitates, quarum auctores fuerint.

Vs. 34. *meum.* Praestat cum Vers. Aeth. legere *suum.*

Vs. 35. *Hoc.* Post illam voculam excidisse videtur *est*, et post *interpretationes* pronomen *eius.*

Vs. 37. *ea.* Lege *eum;* per errorem hoc vocabulum ad *omnia ista* relatum videtur, cum tamen referendum sit ad *libro.*

Vs. 42. *populis.* Lege *Prophetis*, consentiente utrâque Vers. Orient. — Ib. *et navis salvata.* Contexta oratio postulat, ut legatur *est navi salvatae*, confirmante Vers. Arab.

Vs. 47. *tentione.* Nisi *tentatione* legendum sit, praestat cum Ms. Sangerm. legere *contentione.*

Vs. 48. *vestrae.* Praestare videtur cum Vers. Aeth. legere *nostrae.*

CAP. XIII.

Vs. 3. *Et vidi.* Post haec verba e Vers. Aeth. nonnulla supplenda sunt: *exiit ventus hic e mari instar hominis.* Fortassis ante *exiit* quoque lectum fuit *ecce*, et inde facile intelligi poterit, per oculorum aberrationem a priori *ecce* ad alterum lacunam ortam esse; fieri tamen potest, ut in Gr. Cod. defectus jam affue-

rit. — Ib. *convalescebat ille — coeli.* Pro *millibus* in Ms. Sangerm., consentiente utrâque Vers. Orient., recte legitur *nubibus.* Pro *convalescebat*, requirente contextu et consentiente utrâque Vers. Orient., lege *convolabat.*

Vs. 4. *quiescit cera.* Sic legitur in ed. Sabatierii, pro quibus tamen recte in *Cod. Ps. V. T.* FABRICII II. p. 280 habetur *liquescit cera.*

Vs. 11. *pulvis.* In Ms. Sangerm. recte additur *cineris*, sicuti etiam in Vers. Aeth. legitur.

Vs. 13. *Et accedebat — vultus hominum.* In Vers. Aeth. melius legitur *et accedebant ad eum multi homines.* Probabile est Codicem Graecum, quo usus sit Interpres Latinus, corruptum fuisse, in quo vocabulum *πρόσωπον* ortum fuit e vocibus *πρός αὐτόν*, modo praegressis, per errorem repetitis; postquam ea lectio erat recepta, librarius sequentem nominativum facile in genitivum mutavit. — Ib. *aliqui adducentes — offerebantur.* Haec verba desunt in Vers. Aeth., neque bonum sensum praebere mihi videntur. Plurimi quidem putarunt, auctorem significare, aliquos fuisse, qui sacrificia offerrent; verum, si hic verborum sensus esset, potius lectum fuisset: *aliqui adducentes ex eis, quae offeruntur*, vel *aliqui adducentes sacrificia*, nam nullam video causam, ob quam auctor vocabulum *sacrificia* non adhibuisset. FABRICIUS in *Cod. Pseud. V. T.* II. p. 281 not. *h.* monuit, in Vers. Arab. legi *quorum opera erant varia*, quae verba nimis a Vers. Lat. aberrant, quam ut ex iis hanc emendem. Diu perpensis his vocabulis, nullam inveni emendationem, quae mihi satis placeret. Fortasse pro *offerebantur* legendum erit *auferebantur*, et sensus tum erit: Ezram

in somnio vidisse aliquos catenis alligatos, aliquos vero adducentes vel concomitantes eos, qui in exsilium auferebantur.

Vs. 17. *erant.* Sic in ed. Sabatierii legitur, melius tamen in FABRICII l. l. p. 282 *erunt.*

Vs. 18. *Intelligo nunc.* In Ms. Sangerm. legitur *intellige nunc;* contexta autem oratio, confirmante utrâque Vers. Orient., postulat, ut legatur *quia non intelligunt.* Idcirco puto, vocabula *intelligo nunc* depravata esse ex *intelligunt* separatim scripto, omissis vocibus *quia non.* — Ib. *et occurrent iis.* In Ms. Sangerm. ante *occurrent* recte insertum legitur *non*, consentiente utrâque Vers. Orient.: sensus est: non occurrent iis dies illi novissimi, i. e. eo tempore non vivent.

Vs. 19. *propter hoc.* In Ms. Sangerm. jure additur *vae:* causa omissionis latet sine dubio in eo, quod sequens vocabulum a *ve* incipit. — Ib. *venerunt enim in.* In. Ms. Sangerm. legitur *viderunt enim*, pro quo lege *videbunt enim*, consentiente utrâque Vers. Orient.

Vs. 20. *in hunc.* Sic etiam in Vers. Aeth. legitur. Verosimiliter jam olim in Codd. Graec. post *εἰς τοῦτον* excidit *χρόνον.* — Ib. *et nunc videre.* Pro *nunc* recte in Ms. Sangerm. legitur *non.*

Vs. 23. *qui aufert.* Pro *aufert* recte in Ms. Sangerm. legitur *adferet* et pro mox sequentibus *hic se* egregie etiam in eodem Ms. occurrit *ipse.* Pro *custodivit* tamen lege *custodiet*, nam sensus est: ille, nempe homo, qui e mari tanquam turbo adscenderat, homines, ultimis diebus viventes, in magnum inducet periculum, cuius etiam participes futuri sunt tum viventes probi, sed ipse, qui hos in periculum inducet,

eos etiam custodiet. — Ib. *inciderunt.* Cum Ms. Sangerm. potius lege *inciderint.*

Vs. 26. *per semet liberabit.* In Vers. Aeth. legitur *ut sibimet redimat.* Graece procul dubio fuit *αὐτῷ,* quem dativum Aethiops egregie reddidit, sed Latinus perverse eundem per praepositionem *per* expressit, ac si ita legeretur pro *ὑπο σοῦ.* Fortassis Interpres Latinus Christianus, haec verba ad Jesum referens, iis eandem doctrinam inesse putavit, quae in N. T. de Jesu, homines per semet ipsum redimente, occurrit, nisi idem ille, qui VII. 28 textum mutavit, ab hoc etiam loco manum depravatricem haud retinuerit.

Vs. 28. *corrupit enim.* Pro *enim* contexta oratio suadet, ut legatur *autem.*

Vs. 32. *filius meus.* Pro his vocabulis in Vers. Aeth. legitur *ille,* quod fortasse praeferendum est, quia, secundum eandem Versionem, vs. demum 41° huius Capitis indicatur, quisnam fuerit ille vir e mari adscendens.

Vs. 34. *sicut.* Post hanc vocem in Vers. Aeth. recte additur *vidisti.*

Vs. 37. *adinvenerunt.* Legendum est *advenerunt,* nempe ad montem, ut debellarent illum, qui e mari adscenderat, virum. — Ib. *eorum.* Lege *earum,* nam referendum est hoc vocabulum ad *gentes.* — Ib. *propter mala cogitamenta eorum.* In Ms. Sangerm. legitur *et improperavit coram iis mala cogitamenta eorum,* quae magis conveniunt cum Vers. Aeth., in quâ recte sic legitur: *et cumulabit coram iis mala eorum opera.* Graece verosimiliter fuit *καὶ ἐπιδωρεύσει ἐναντίον αὐτῶν τὰ πονηρὰ ποίηματα αὐτῶν,* pro quibus tamen Latinus male legisse videtur *ἐπισπεύσει ἐναντίον*

αὐτῶν τὰ πονηρὰ νόηματα αὐτῶν. Postquam e Codd. Lat. vocabula *et* — *iis* exciderant, alii, ut videtur, e contextu suppleverunt vocem *propter:* pro *eorum* denuo *earum* legendum est.

Vs. 38. *per legem.* In Vers. Aeth. melius legitur *cum peccatis eorum.* Vitium procul dubio jam affuit in Cod. Graec.

Vs. 40. *decem.* In Vers. Aeth. legitur *novem*, quam lectionem confirmare videtur Arabs, qui habet *novem et dimidia.* Versionis Aethiopicae integritas defenditur opinione Judaeorum, secundum quam tribus *Dan* in captivitate emortua est. Fortasse Codd. Gr. jam a se invicem discreparunt; vel sic tamen numerus *novem* praeferendus videtur numero *decem*, quia ille facile in hunc mutari potuit ab aliquo, qui hanc Judaeorum opinionem ignorabat.

Vs. 42. *vel ibi observare.* In Ms. Sangerm. melius legitur *vel ut ibi observarent:* vocula *vel* tamen ejicienda est: fortassis exstitit e depravatione sequentis vocis *ut*, quae causa fuit, ut haec vox in edito textu Latino desit; in Ms. autem Sangerm. tam vera quam depravata lectio occurrit.

Vs. 45. *per eam.* Contextus postulat, ut legatur *ad eam.*

Vs. 47. *multitudinem.* In Ms. Sangerm. additur *collectam*, nec male.

Vs. 49. *proteget — populum.* In Ms. Sangerman. recte legitur *proteget*, *qui superaverit*, *populum.*

Vs. 50. *multa plurima.* Utraque vox in Vers. Aeth. deest; quisque autem, vel nobis non monentibus, animadvertit, alterutram vocem esse delendam, verosimiliter priorem, quae per errorem fuit scripta, sed scri-

ba, erroris sui mox conscius, genuinam vocem addidit, vitiosam autem non delevit.

Vs. 52. *sicut — maris.* Tota haec sententia in Ms. Sangerm. sic legitur: *sicut non potest scrutinare vel scire quis, quid sit in profundo maris,* quae verba egregie conveniunt cum Vers. Aeth., atque textui edito sunt praeferenda. Utrum vox *scrutinare* sit genuina, an vero pro eâ legendum sit *scrutari*, in libro, tam negligenter scripto, definire non audeam; certe in Vers. Latin. Ps. 63. 7 legitur *scrutinium.*

Vs. 53. *hic solus.* Pro *hic* lege *hoc,* nempe *somnio.*

Vs. 54. *dereliquisti* sqq. In Vers. Aeth. melius legitur *dereliquisti enim negotia tua, et mea secutus es, et legem meam quaesivisti,* quocirca textum Latinum sic lege: *Dereliquisti enim tua et circa mea vacasti et legem meam quaesisti.* Vitium facile oriri potuit, voculâ *et* post *legem* scriptâ, omissâ voce *meam;* postquam haec depravatio irrepserat, alius vocabula *tua* et *mea* vitiose scripta putavit pro *tuam* et *meam*, ea ad *legem* referens.

Vs. 55. *tuum.* Cum Vers. Aeth. potius lege *tuam.*

Vs. 56. *ostendi tibi.* Post haec verba cum utrâque Vers. Orient. insere: *haec, nam tua.*

Vs. 58. *ipsum.* Post hoc vocabulum inserendum est *tempus*, consentiente utrâque Vers. Orient.

C A P. XIV.

Vs. 2. *De rubo.* Haec vocabula desunt in Vers. Aeth., et recte, uti videtur, nam in praecedenti vers

solummodo de quercu sermo fuit: idcirco ea tanquam glossam, quae ad vs. 3 mox sequentem pertineat, ejicienda puto, ubi, pro *super rubum*, altera lectio ad marginem notata fuit *de rubo*.

Vs. 8. *vidisti*. Lege *audisti*, suadente oratione contextâ et confirmante Vers. Aeth.

Vs. 9. *ab omnibus*. Cum AMBROSIO *de bono mortis* c. 11 t. 1 col. 410 d., ubi hunc locum citavit, lege *ab hominibus*, consentiente utrâque Vers. Orient. — Ib. *cum consilio meo*. In Ambrosii l. l. et Ms. Sangerm., consentiente utrâque Vers. Orient., recte legitur *cum filio meo:* postquam praepositio *con* vel *cum* bis erat scripta, hodierna lectio facile oriri potuit.

Vs. 11. *Duodecim*. In Vers. Aeth. habetur *decem*, quae lectio omnino est praeferenda: praeter enim, quod numerus *decem* apud Judaeus sanctus fuerit (1), ideoque nostro loco apprime conveniens, consentit etiam auctor libri *Henoch* (2), qui similiter mundi aetatem in decem partes distribuit; tandem sequentia eandem lectionem suadere videntur, nam in fine huius versus legitur *et transierunt eius decima et dimidium decimae partis*, pro *decima* autem, prouti altera sententiae pars postulat, legendum est *novem*. Idcirco, post *supersunt autem eius* vs. 12, non addendum erit cum Ms. Sangerm. *duae*, sed *anni*, vel *tempora*.

Vs. 13. *humiles eorum*. Post haec verba in Vers. Aeth. additur *et instrue sapientes eorum*. Simile quid in Vers. Arab. legitur: quocirca probabile mihi videtur,

---

(1) Cf. LÜCKE, *Einleit. in die Offenb. Johann.* I. p. 59 ann. 1 et LENGERKE ad *Dan.* I. 12.

(2) C. 92 vers. Germanicae ed. Hoffmann.

ea verba e textu Latino excidisse, nisi jam in Cod. Graeco defuerint.

Vs. 14. *te jam.* Lege *tuam*: in Vers. Aeth. legitur *indue quod non perit.*

Vs. 15. *facient.* Lege *fient*, docentibus Versione utrâque Orientali et oratione contextâ.

Vs. 18. *dixi.* Post hanc vocem in Vers. Aeth. recte additur *loquar.*

Vs. 20. *ergo.* In Vers. Aeth. melius legitur *enim*, pro *διότι* perverse legisse videtur Latinus *διώτι.*

Vs. 26. *perfectis.* Post hanc vocem comma ponendum est: sensus est: his tunc ad finem perductis.

Vs. 31. *et terra Sion.* Vocula *et*, quam Cl. v. d. Palm jure non vertit, delenda est.

Vs. 38. *Et factus sum.* Contexta oratio requirit, ut legatur *et factum est.*

Vs. 40. *in eo.* Lege *ex eo.* — Ib. *cruciabatur.* In Ms. Sangerm. legitur *eructuabatur intellectum*, consentiente Vers. Aeth., modo pro *eructuabatur* legas *eructabatur*, vel potius *eructabat.* — Ib. *conservabatur memoria.* Vers. Aeth. suadet, ut legatur *conservabat et memoriâ tenebat:* postquam vocabulum *tenebat* exciderat, *conservabat* facile mutari potuit in *conservabatur*, voculâ *et* omissâ, ut sic vox *memoria*, in ablativo posita, aliquem sensum praeberet.

Vs. 42. *quae dicebantur.* In utrâque Vers. Orient. recte additur *secundum ordinem.* — Ib. *excessiones noctis.* Ingeniose v. d. Palm conjecit, legendum esse *excessiones mentis*, consentiente Vers. Aeth.; vel sic tamen ante *excessiones* comma ponendum est, illudque vocabulum pro objecto verbi *scripserunt* accipiendum est. — Ib. *quas non sciebant.* In Vers.

Aeth. additur *et manserunt ibi quadraginta dies*, *et illi per diem scribebant*, quae verba contextui egregie conveniunt, et confirmantur etiam Vers. Arabicâ, in quâ legitur *et fui illic per dies quadraginta et illi per hos dies scripserunt.* Fortasse jam deërant in Cod. Gr., quo usus sit Latinus.

Vs. 44. *libri ducenti quatuor.* In utrâque Vers. Orient. legitur *libri nonaginta quatuor*, quae verba textui Latino praeferenda sunt, nam e sequentibus patet, viginti quatuor libros evulgatos esse, i. e. scripta, Veteri Testamento comprehensa; septuaginta vero reliquos non nisi initiatis esse destinatos. Error facile exsistere potuit e C (200) pro Ϙ (90).

Vs. 45. *complevissent.* Cum Ms. Sangerm. lege *completi essent.*

Vs. 47. *Et feci sic.* In utrâque Vers. Orient. nonnulla adduntur de Ezrae in coelum discessu, quae in Vers. Lat. desunt. Huius tamen omissionis causa procul dubio quaerenda est in Christiano homine, duo sequentia capita addente, quae eo facilius se suppositurum esse speraverit, si libri finem omitteret.

CAPUT SECUNDUM.

DE VERSIONE AETHIOPICA.

Versio Aethiopica libri IV[i], vel, ut ab Aethiopibus dictus est, libri I[i] Ezrae, diu ignota mansit iis, qui de hoc libro commentati sunt. Huius rei causa procul dubio quaerenda est in magnâ, quâ erga linguam Aethiopicam docti Viri versati sunt, negligentiâ. Ludolfus tamen eam cognovit: certe in Lexico, quod conscripsit, Aethiopico, subinde citat Versionem nostram Aethiopicam: vide ኅቌሶ፡ Lex. Aeth. p. 406; እዮለቀለቀ፡ p. 491; ሀዩን፡ p. 461; ዩለወ፡ p. 493; እሕሰወ፡ p. 39; ተዩሏወ፡ p. 493; ኍበር፡ p. 280; ኗፈኗፈ፡ p. 326; መኅበሬ፡ p. 88; መሱን፡ p. 74; ጸፋጸፈ፡ p. 600; ኖቀወ፡ p. 297; ሰውጠጠ፡ p. 179; ተጋበእ፡ p. 532. Nec tamen accurate hancce Versionem perlegisse videtur: nonnulla enim vocabula in eâ occurrunt, de quibus in Lexico suo nihil monuit, neque eius auctoritatem invocavit, ad significationem huius alteriusve vocabuli confirmandam (1).

---

(1) Sic II. 9 ጸወሀ፡ occurrit notione *revocandi*, quae tamen deest in eius Lexico; II. 39 legitur መጠሬዘ፡, quam formam adnotare debuit, ubi de vitiosa lectione in N. T. ad vocem መጠን፡ egit; III. 4 አኝመልመለ፡ activo sensu occurrit, quem locum adducere debuit,

Anno autem seculi nostri vicesimo Versio Aethiopica edita est a R. Laurencio Oxoniae (1), e Codice quodam, quem emtionis jure hic sibi comparaverat (2). Hic tamen vitiis abundat, quae fere omnia in editione suâ servasse videtur Laurencius, certe non nisi ad I. 33; II. 39 et 59, 42; III. 1, 10, 22, 31, 52, 53, 68;

---

ad hancce notionem, cuius unum tantum exemplum attulit, stabiliendam. IV. 64 ከመ፡ ወኢምንት። haec dicendi formula, ut ait s. v. ምንት፡, significat *ἐν στιγμῇ χρόνου*, sed h. l. occurrit significatione *tanquam nihil;* VI. 41 ሐዩወ፡ (l. ሐይወ፡) occurrit tanquam nomen substantivum *vita*, sed in Lud. Lex. frustra quaeritur. VIII. 22 legitur forma ሞዩኍዐ፡ (cuius alia etiam habentur exempla similia: vide LUDOLF. *Gr. Aeth.* p. 95 med.), sed deest in eius Lex. XI. 12 ሰማኒ፡ *octo*, quam formam Ludolfus non attulit; eadem probat, genuinam esse eius formam foemininam ሰማኒት፡, de qua tamen idem in Lex. p. 149 dubitat. XIII. 46 occurrit forma ሙሐር፡ (cuius simile exemplum est ሙባእ፡ a rad. በውእ፡) *iter*, sed deest in eius Lex. XIV. 44 ተጋብአ፡ perverse explicuit sub voce ጋብአ። reddidit enim *distitit, quievit, cessavit*, nostrum locum citans, sed propria notio conjugationis VIIIae est *cooperatio reciproca, actio mutua*, sicuti ipse LUDOLFUS recte dixit in *Gramm. Aeth.* p. 35 init.: idcirco significare debet *convenerunt inter se, sibi invicem appropinquarunt* nempe *labia eius* in loquendo, et inde sensus vocis ኢተጋብአ፡ est *non tacebat.* In subscriptione tandem nostrae Versionis legitur ሰንበታት፡, quae pluralis forma in Ludolfi Lexico non exstat; nec in eo invenitur ጽልመት፡ notione *novilunii*, quae tamen oratione contextâ et Vers. Arab. vindicatur.

(1) Titulus libri hic est: ዘዕዝራ፡ ፩። PRIMI EZRAE LIBRI, *qui apud Vulgatam appellatur quartus*, VERSIO AETHIOPICA; *nunc primo in medium prolata, et Latine Angliceque reddita*, a RICARDO LAURENCE, LL. D. *Hebr. Ling. Prof. Reg., Aed. Chr. Can.*, etc. OXONIAE *typis Academicis, impensis editoris. Prostat venalis apud J. Parker, Oxoniae; et F. C. et J. Rivington, Londini.* 1820. *formâ Octavo.*

(2) Cf. eiusdem praefatio ad *Ascensionem Jesaiae*, cuius Versionem Aethiopicam edidit 1819. 8o, p. 1.

IV. 19, 28, 67; V. 15, 28; VI. 17, 19, 62, 69, 75; VII. 10, 32, 43; VIII. 4, 27, 37, 63; IX. 1, 14; X. 3, 39, 65, 73; XI. 24, 43, 54; XII. 13, 16, 41, 51; XIII. 1, 2, 22, 27, 34, 40; XIV. 24 vitia vel scribendi errores annotavit; cum tamen quaeque pagina in editione Laurencii plurima contineat menda; et tam anxius fuit in edendo Codice, ut etiam varias unius eiusdemque vocabuli scribendi rationes servaverit.

Aethiopica haecce Versio, similiter atque Latina, e Codice Graeco confecta est. Ad hanc sententiam confirmandam satis ducimus, lectores referre ad ea, quae de variis locis Versionis Latinae observavimus, et similiter ad ea, quae de singulis Versionis Aethiopicae locis dicturi sumus, ne de re, satis apertâ ex iis, quae ibi diximus, longiores simus: vide v. c. quae diximus ad IV. 25, 41, 58, 64; V. 19, 33, 40; VIII, 7, 62; IX. 23; XII. 1, 3, 47, 55; XIII. 17, 30, 43; XIV. 3. Non igitur opus est, ut de locutionibus, quae Graecam dicendi rationem prae se ferant v. c. V. 30 ይፌጽም፡ ቍልዔየ፡ τελευτήσει ὁ παῖς μοῦ, *morietur* filius *meus*, peculiariter agamus. Has tamen in Vers. Aeth. non facile agnosces: nam ex iis, quae Aethiopice edita exstant, pleraque versa sunt e linguâ Graecâ; quocirca formulae dicendi Graecae ab Aethiopicis non facile distinguuntur, quia in editis illis libris cogitandi, et proin scribendi, ratio vere Aethiopica non satis manifesta est.

Vertendi ratio, quam Interpres Aethiops secutus est, non tam servilis literisque inhaerens fuisse videtur, quam apud Latinum observavimus. Nec tamen ille nimis aberrasse a textu Graeco, neque tam liberâ vertendi ratione usus fuisse videtur, quam Arabem, apparet,

quantum nempe constat ex iis, quae de Arabicâ Versione retulit FABRICIUS in *Cod. Pseud.* V. T. II. p. 202—293, et quae inveniuntur in Laurencii ed. Vers. Aeth. p. 169—197 passim. Aethiopica Versio Latinae Versioni insuper praestat, quia plurimi loci in illâ multo melius quam in hac sunt redditi, prouti ex iis, quae de singulis utriusque Versionis locis diximus, satis patet; quamvis Aethiops subinde Graecorum verborum sensum non ceperit, vide v. c. V. 33; VI. 57.

Tempus, quo Versio Aethiopica confecta est, accurate definiri nequit. Procul dubio non exstitit ante seculum IV^{um}, nam ante id fides Christiana nondum apud Aethiopes erat propagata. Sed, postquam Frumentius eam ad Aethiopes transtulit, Codex Sacer Aethiopice quoque redditus est; atque ad illud tempus referendam esse Aethiopicam nostri libri Versionem probabile mihi videtur.

Versionem Aethiopicam cum Latinâ comparanti, mox constabit, illam hac multo integriorem ad nos pervenisse. Libera enim est ab interpolationibus spuriisque Capitibus, Christianum auctorem referentibus, quae in Versione Latinâ adsunt. Supra vero demonstrare conati sumus, haec probabiliter jam affuisse in Cod. Gr., quo usus sit Latinus: inde igitur consequi videtur, Codicem Graecum, quo usus sit Aethiops, multo minus fuisse depravatum, quam eum, quem Latinus reddiderit. Vitia autem, quae in Vers. Aeth. observantur, longe pleraque originem duxerunt e scribarum incuriâ: haec ergo saepissime solummodo sunt emendanda, nihilo porro addito; nam quisque, linguae Aethiopicae vel paullulum peritus, continuo harum emendationum veritatem agnoscet. Ex hacce incuriâ procul dubio repetenda est

creberrima literarum eiusdem organi inter se commutatio (1). Eâ tamen de re nihil monebimus, quandoquidem orthographiae leges in linguâ Aethiopicâ nondum satis certo constitutae sunt, quod cuique dilucidius fiet, si conferat quoque vocabula Aethiopica, quae HOFFMANNUS in annotationibus ad *librum Henochi* e Cod. Rüppellii adscripsit, cum iisdem in LUDOLFI *Lex. Aeth.* occurrentibus (2). Ingens etiam est vocabulorum numerus, quorum vocales differunt ab iis, quibus Ludolfus in Gramm. et Lex. Aeth. eadem haec vocabula insignivit. Hoc tamen discrimen non unice scribarum negligentiae adscribendum est, sed in ipsâ linguâ fundamentum habet, ita ut ipse Ludolfus, peritissimus Grammatices Aethiopicae auctor, hancce vocalium inter se commutationem in epistolis, quas scripsit, Aethiopicis imitatus sit (3). Sufficiat igitur, h. l. praecipua memorare vocabula, in quibus hocce vocalium discrimen occurrit: linguae enim Aethiopicae ratio non permittit, ut ea omnia, tanquam vitiose scripta, emendemus. Et

---

(1) Vide v. c. I. 12 እዴሑ፡ et እዴኍ፡፡ II. 59 በዘሑ፡ et በዘኍ፡፡ III. 49 ሀዐዋኒ፡ et ሀጽዋኒ፡፡ IV. 13 ኔተሙ፡ et ሐተሙ፡፡ IV. 23 ሕያናት፡ et 24 ኔያናት፡፡ V. 3, 18 ሙጽቡብ፡ et 19 ሙዕቡብ፡፡ VI. 39 ኔየሽ፡ et 44 ሐየሽ፡፡ VI. 51; VII. 17 ወዕእ፡ et VII. 12; VIII. 2 ወጽእ፡፡ VI. 50 ኪሒዴ፡ et 53 ኪኔዴ፡፡

(2) Cf. HOFFMANN *das Buch Henoch* p. 414, 416, 423, 445, 447, 449, 458, 460, 463, 474, 483, 493, 501, 517, 519, 520, 521, 522, 523, 524, 528, 531, 535, 540, 543, 560, 565, 572, 575, 670, 688, 710, 712, 773, 822. Textus huius libri Aethiopicus, quem nuperrime edidisse Laurencium inaudivi, nondum mihi ad manus fuit.

(3) Cf. duas epistolas Aethiopicas Ludolfi, quas nuper edidit aestumatissimus praeceptor meus Weijersius in Operis *Archief voor kerkelijke Geschiedenis* edd. KIST et ROOYAARDS, Tom. IX.

primum quidem hîc in censum veniunt vocabula, in quibus litera 1i ordinis ante gutturalem 6i ordinis mutam non mutata est in 4um ordinem, secundum Canonem 4um Ludolfi: vide I. 11, 12; II. 47; III. 2, 26, 37, 49; IV. 10, 22, 34, 43, 65; VIII. 9, 24, 28, 33; IX. 27, 28; X. 2, 5, 6, 36, 39, 42, 43; XI. 5, 43; XII. 6, 20, 21, 32, 35, 46, 48, 55; XIII. 17, 33, 42, 43, 53, 57; XIV. 18, 30, 39; affixum ሁ፡ litera 1i ordinis praecedit I. 5, 7, 8; III. 35, 36, 41; IV. 44, 62, 66; VIII. 18; similiter affixum ሃ፡ XI. 16, et affixum ሆሙ፡ IV. 53, 60. Deinde pro vocali 4i ordinis in Conjugatione 4a legitur vocalis 1i ordinis II. 4, 53, 54, 61; III. 43; VIII. 21, 30, 69; IX. 11; X. 58; XIII. 23; XIV. 23. Porro pro formâ plurali masc. ኣን፡ saepius legitur አን። cf. II. 33, 47; V. 17, 19, 25; VI. 66; pro formâ plurali foem. ኣት፡ legitur አት፡ X. 30; XI. 2 et in fine subscriptionis libri. Jam sequantur plurima vocabula, in quibus eadem haec vocalium 1i et 4i ordinis permutatio observatur, quae secundum literarum ordinem citabimus: ሃሎኩ፡ pro ሀሎኩ፡ VIII. 24; ሃይማኖት፡ pro ሀይማኖት፡ III. 2; IV. 13, 32; V. 39; VI. 67; IX. 8; XIII. 31 (sic etiam in Henochi libro p. 411 annot. *Vers. Germ.* HOFFMANNI); ለሐወ፡ pro ላሐወ፡ X. 7, 8, 10, 15, 63; ለሀለ፡ pro ላሀለ፡ I. 6; ላእም፡ pro ለእም፡ IX. 27; ልሳን፡ pro ልሰን፡ (cf. لسان, לשון) XIII. 13; ሐውርት፡ pro ሓውርት፡ I. 10; III. 11; IV. 2; ሕደጠ፡ pro ሓደጠ፡ IX. 24; ሞገበር፡ pro ሞገ-ባር፡ V. 31; VI. 76, 83; VIII. 34, 37, 38, 42; IX. 7, 8, 16, 21; XIII. 31, 41; XIV. 38, ማጠ-ናዘ፡ pro መጠናዘ፡ XI. 44; መስኩብ፡ pro መስኳብ፡ XII. 34; ማዋቲ፡ pro መዋቲ፡ VIII. 36; XIV. 10; ማ-ዋዕል፡ pro መዋዕል፡ XII. 56, 58; መዓልት፡ pro መ

ሀሌት፡ III. 6; መንበር፡ pro መንባር፡ V. 31; መክን፡ pro መካን፡ IX. 42; X. 58; ሠርዓት፡ pro ሠርሀት፡ II. 21; IV. 52; V. 24; VI. 19, 47, 58, 64—69, 71—73; VIII. 26, 32; ሠረሐ፡ pro ሠሬሐ፡ IX. 43; X. 37, 61; ወረዙት፡ pro ወሬዙት፡ X. 34; ስቱዩ፡ pro ስቲዩ፡ XIV. 41; ሲዮስት፡ pro ሳዮስት፡ IV. 61; ቀሌ፡ pro ቋሌ፡ IX. 5; XIV. 1; ቀሊዩ፡ pro ቀሏዩ፡ II. 12, 16; VIII. 27; ቂዩሚ፡ pro ቀዩሚ፡ IX. 15; XII. 35; በሕቱ፡ pro ባሕቱ፡ II. 53; በቢሉን፡ pro ባቢሉን፡ I. 1; ተአምር፡ pro ተኣምር፡ III. 1, 20; IV. 18, 22; V. 26; VIII. 71; IX. 6; XIII. 37, 45; XIV. 6; ትሰሚዩ፡ pro ትሰምዩ፡ X. 72; ተንሠሣ፡ pro ተኝሠሣ፡ X. 43; ተገበር፡ pro ተገባር፡ VIII. 28, 53, 56; ኟጠውኧ፡ pro ኘጠውኧ፡ et ኟጣውኧ፡ pro ኘጣውኧ፡ I. 35; II. 23; VI. 43; XII. 36; ኟጢአት፡ pro ኘጢአት፡ II. 38; VII. 42; ኘጥአ፡ pro ኟጥአ፡ II. 33; VIII. 57; ኟበ፡ pro ኘበ፡ XII. 12; ኜየው፡ pro ኜዬው፡ VIII. 29; ኜንበባት፡ pro ኜንባባት፡ IX. 24, 26; ኖለዊ፡ pro ኖሏዊ፡ III. 25; ኒዘዘ፡ pro ኖዘዘ፡ X. 55; አምጠኒ፡ pro አምጣኒ፡ XIV. 16; አኟው፡ pro አኘው፡ XIV. 36; ኧንበሰ፡ pro ኧንበሳ፡ XII. 36; አዕዩንት፡ et ኧዕዩንት፡ pro አዕዩንት፡ VI. 77, 78; XII. 12; ኧለንቱ፡ pro ኧሏንቱ፡ XIV. 50; አምሰሌ፡ pro አምሳሌ፡ XIII. 1; አገሀዚዩን፡ pro አገዓዚዩን፡ X. 31; አስምዓኒ፡ pro አስምሀኒ፡ III. 49; ኣዘዝክሁ፡ pro አዘዝካሁ፡ IV. 44; አስተኟቀረ፡ pro አስተኘቀረ፡ VI. 53; አስከሌ፡ pro አስካሌ፡ IX. 24; ኣምኑ፡ pro አምኑ፡ V. 24; አሐዱ፡ pro አሑዱ፡ X. 11; አስርሐ፡ pro አስርሒ፡ III. 28 (quamvis exspectares አስርሐት፡ nam ኗሊፍ፡ est foem. gen., quippe nomen desinens in *a* quarti ordinis et plur. quoque est ኗሊፍት፡); አፋሕም፡ pro አፋሒም፡ XIII. 13, 14, 34; ክሌአ፡ pro ካሌአ፡ I. 32; II. 24, 25; IV. 57; X. 14; XI. 14, 31; XIII. 43; ካዕበ፡ pro ክዕበ፡ IX. 27; ክምክ፡ pro ክሚክ፡ XIV. 7; ክሠት፡ pro ክሡት፡ X. 53;

ውዕዩት፡ pro ውዕየት፡ XII. 51; ውዕዩ፡ pro ውዕየ፡ XII. 4; ሐሞት፡ pro ሀሞት፡ I. 25, 29; IV. 23; VI. 16; IX. 42; X. 58 (sic etiam in libro Henochi p. 415 ann. 5 *Vers. Germ.* HOFFMANNI); ሐርጌ፡ pro ሀርጌ፡ XI. 48; ሐረሬ፡ pro ሀረሬ፡ VI. 68; ሐቢ፡ pro ሀቢ፡ VI. 72; ዘቴ፡ pro ዛቴ፡ VII. 20; X. 55; XII. 9; XIII. 43; ዩቀሃን፡ pro የቀሃን፡ XI. 46; ዩሁሉ፡ pro የሁሉ፡ X. 68; ዩሚን፡ pro የሚን፡ XII. 35; ዴንሬ፡ pro ዴኔሬ፡ VIII. 60, 71; XII. 14, 29, 37; XIII. 22, 23; XIV. 4; ዴንሬት፡ pro ዴኔሬት፡ X. 43; XII. 35; XIII. 26; ዴምና፡ pro ዴምና፡ XIII. 26; ዴሚናት፡ pro ዴምናት፡ XI. 2; XIII. 2; ዴዴን፡ pro ዴዴን፡ VIII. 43, 70; ጸውሐ፡ pro ጸውሀ፡ XIV. 41; ጸዶቅን፡ et ጸዶቅን፡ pro ጸዶቅን፡ VI. 60; VIII. 38, 44, 58, 67; IX. 14; X. 34; XI. 45, 47, XIV. 38 (sic etiam in Henochi libro p. 407 annot. *Vers. Germ.* HOFFMANNI); ፋርሃት፡ pro ፋርሀት፡ VI. 53, 62; VIII. 25; XII. 6, 9; ሬጠሬ፡ et ሬጠሬ፡ pro ሬጠሬ፡ III. 41; VIII. 69; X. 19; XI. 56; ፋኅበሬ፡ pro ፋኅበሬ፡ X. 52; XII. 13, 42. Tum pro እግዚእ፡ subinde legitur እግዚአ፡ II. 47, 49; III. 42 (hoc apud poëtas nonnunquam fieri rhythmi causa, monuit LUDOLFUS *Gramm. Aeth.* p. 112 not. *i*). Ante affixum ኀቢ፡, nominibus appositum, saepius legitur status absolutus pro constructo I. 24, 26, 29, 34, 36; III. 69; IV. 18, 19; VIII. 16, 32, 53, 58; IX. 31; X. 54; XIII. 58, 59; XIV. 6, 10. Similiter litera 6ⁱ ordinis in verbis propter affixum 1ᵃᵉ et 2ᵃᵉ personae non translata est in 1ᵘᵐ ordinem (secundum LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 151 med.) I. 32, 33; II. 61; III. 20, 50; IV. 34, 36; V. 2; VI. 18; VIII. 13; IX. 42; XI. 17, 42. Literam የ saepius praecedit vocalis *i*, contra Canonem IX. *Gramm.* LUDOLFI: vide I. 28; III. 42; IV. 20; V. 28; VI. 53, 74; VII. 43; IX. 38, 42, 44; X. 32; XI. 46. Pro

vocali *e* in Imperfecto legitur vocalis *a* primi ordinis II. 35, 42, 43, 50, 51; III. 55; IV. 30; V. 21, 29; VI. 20, 24, 47, 49, 50, 55, 58—60, 64, 66, 68, 70, 72; VIII. 15, 42; IX. 5, 10, 14; X. 55; XI. 11; XII. 41; XIV. 18. Tandem pro ቈ in editione Vers. Aeth. a Laurencio paratâ legitur ቋ I. 28; II. 45; III. 46; IV. 10; VI. 25, 50; VII. 43; XI. 12; XIII. 6, 38. Denique observandum est, in Cap. XI. saepius scriptum esse ኦርኦስቲ: pro ኦርኦስቲ: vide vs. 3, 4, 25, 26, 27, 29, 33, 35; similiter XII. 23.

In Vers. Aeth. libri Ezrae insuper creberrima occurrit enallage generis; sed, quominus tales locos mutemus, impedit summa in generum usu fluctuatio, Aethiopicae linguae propria, de qua vide LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 100 et 145. Subinde etiam fit, ut e duobus pluribusve vocabulis, quae omnia in statu constructo legi debebant, unum tantum in eo statu sit positum, caeteris in statu absoluto lectis; sed ne de hac quidem re quicquam monebimus, nam vide LUDOLFI l. l. p. 146.

Versionem igitur Aethiopicam emendare conabimur ope Versionis Latinae interdum et Arabicae; plura vero subsidia critica nobis desunt, quare cogemur, plurima loca e solâ conjecturâ emendare. Observationes Mss. Cl. Hamakeri, in Bibliotheca Leidensi asservatae (Mss. Orient. N° 1422, in catalogo Biblioth. Hamaker. p. 114, inter autographa n. 25), parum utilitatis attulerunt. Vir enim summus initium tantummodo fecit observationum in Vers. Aeth. libri Ezrae conscribendarum, nec ultra vs. 38 Cap. II. progressus est, corruptos locos posteriori curae relinquens; sed quominus hancce Vers. consideraret accuratius et sagacissime, pro more suo, emendaret, mors atra impedivit. Summae

vero utilitatis fuerunt observationes Mss. carissimi Praeceptoris mei Weijersii, quae in locis valde obscuris saepissime mihi lucem accenderunt, et cuius accuratissima textûs Aeth. consideratio impedivit, quominus plurima vitia intacta relinquerem.

C A P. I.

Vs. 1. ዓቲ: In Ludolfi Lexico hoc vocabulum deest, in quo unice habetur ዓም: et ሀሞት፡፡ — Ib. ኅቡኡት: Forma ኅቡኡት: vitiose sic scripta est pro ኀቡኡት:, cf. LUDOLFI *Grammat. Aeth.* p. 96. Cl. Weijers in suâ ad h. l. annotatione Ms. legendum conjecit ኀቡት:, acsi Graece fuisset *καὶ συγκεκαλυμμένος τό πρόσωπον μοῦ* (cf. 1. Reg. XXI. 4), atque auctorem his verbis indicasse, Ezram prae moestitiâ faciem suam obvelasse. Nec in Vers. Latinâ nec in Arabicâ haec verba occurrunt.

Vs. 4. ግሩም: Hoc vocabulo Aethiops procul dubio expressit Graecum *φοβερός*, quod tamen Latinus, quamvis barbare, melius reddidit *timorata* verba, i. e. verba dicta ab homine timore pleno. Latino *timorata* respondet Ar. مُخَوِّف. — Ib. ፈጠርኩ: Lege ፈጠርኩኒ:, cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 132 III. § 2. coll. p. 150 II.

Vs. 5. በሕቲተኩ: Lege በሕቲትኩ: Subintelligitur ገብርኩ፡፡ — Ib. እዘዝኩሙ: Probabile videtur, copulam ወ huic voci esse praemittendam. — Ib. ምቅቲ: Perverse sic reddidisse videtur Graecum *νεκρός*: sensus enim huius vocis est, *vitâ carens*, vel, ut Latinus habet, *mortuus*. Aethiops ergo scribere debuerat ምውት፡፡

Vs. 6. ሕይው: Lege ሕይወ:, quia praedicatum est verbi ኮነ: mox praecedentis.

Vs. 9. ምተ: scribendi vitium pro ሞተ::

Vs. 10. ማኅለቅተ: Lege ማኅለቅት:, vide IV. 47 et LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 131.

Vs. 11. ወሐረ: Lege ወሖረ::

Vs. 12. አይሕ: quod ad finem versûs in statu absoluto scriptum redit, utroque loco in statu constructo legendum est.

Vs. 16. በባሕቲቶኽሙ: Vitiose scriptum pro በባሕ ቲቶኽሙ::

Vs. 17. ለዘርእ: Post hoc vocabulum plurima desiderantur, quae e Latinâ atque Arabicâ Versione supplenda sunt. Vitium facile oriri potuit ex aberratione oculorum ab uno ለዘርእ: usque ad alterum, nam sententia, quae supplenda est, desinit in idem vocabulum; verba autem mox sequentia አለ: ወሀቦ: dein inserta videntur, postquam lacuna in textu jam aderat, ut እምጕበጸ: aliquem saltem sensum praeberet. Fieri tamen potest, ut Codex Graecus jam depravatus fuerit.

Vs. 19. ሆኩ: Legendum est ሆኮ: vel ሆኰ: quia ዓ ለም: tam masculine quam foeminine usurpatur — Ib. ኦርሀዩኩ: similiter lege ኦርሀዩኮ: vel ኦርሀዩኰ:, quia ቀላይ: in utroque genere usurpatur. — Ib. ኦኮስኩ: Lege ኦኮስኰ::

Vs. 20. ዘመንፈስኒ: Graece procul dubio fuit *πνεῦμα* notione *venti*, melius ergo Aethiops hoc vocabulum reddidisset ነፋስ: — Ib. ኢየስሳሌኩ: Lege ኢየስሳሌ ኮ:: — Ib. ይገበረ: Interpres Aethiops primum fortasse putavit, sensum esse, *ut facerent ipsi fructum*, sed, vocem *ὁ νόμος* in nominativo inveniens, oblitus est ይገ በረ: mutare in ይገበር:: — Ib. ፋረ: Lege ፋሬ::

— Ib. ሐግኀ፡ Lege ሕግኀ፡፡ — Ib. ሉብ፡ Vitiose pro ሌብ፡፡

Vs. 25. ምንትሬ፡ Lege ምንቶሬ፡፡

Vs. 26. ጸላእትኩ፡ Secundum vulgarem legem scribendum est ጸላእቲኩ፡, sed Psalm. XX. 8 illa scriptio etiam occurrit, cf LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 154 in initio not. 1.

Vs. 27. ባቢሎን፡ Ante hoc vocabulum excidit ውስ ተ፡ vel praepositio በ፡ nisi legendum sit ባቢሎንሃ፡፡

Vs. 28. ንጢአት፡ Lege ንጢአተ፡፡ — Ib. ብዙኃን፡ Lege ብዙኃኒ፡፡

Vs. 29. ዓሞት፡ Lege ዓሞተ፡ cf. LUD. *Gr. Aeth.* p. 139, III. — Ib. ርእዩየ፡ Perverso loco scriptum est, et ante እሬ፡ quod mox praecessit, ponendum est, mutatum in ርእዩየ፡፡

Vs. 31. ዘይኄይሱ፡ Si sequeretur *Babylonii*, tanquam subjectum huius verbi, hoc recte ita scriptum esset, et procul dubio Interpres, cum ita scriberet, putavit subjectum esse *Babylonis incolas*, sed subjectum est ባቢሎን፡, idcirco lege ዘይኄይስ፡ ut sensus sit: Num is est Babylon, qui antecellat Sionem faciendo.

Vs. 33. አየ፡ Lege አዩ፡፡ — Ib. ጸማሁ፡ Lege ጸማሁ፡ nam radix est ጸመወ፡፡

Vs. 34. ሐርኩ፡ Lege ሖርኩ፡፡ — Ib. አይዜኩራ፡ Lege አይዜኵራ፡፡

Vs. 35. ዘበ፡ ንቤሁ፡ Haec verba conjunctim vulgo leguntur ዘበንቤሁ፡፡ Ante ea excidisse videntur vocabula ኩሞ፡ ቷእምር፡, nisi jam in Graeco Codice defuerint. — Ib. ሞጠ፡ Lege ሞጠን፡፡

Vs. 36. አዩ፡ Lege አየ፡፡

CAP. II.

Vs. 1. ኤርያል: Cap. X. vs. 43 legitur ኡራኤል: quacum lectione convenit Vers. Lat.: et in libro Henochi idem hocce nomen legitur.

Vs. 2. ከመ: Ante hoc vocabulum in Vers. Lat. legitur *in seculo hoc;* cf. dicta nostra ad V. Lat. Apertum est, in Vers. Aeth. aliquid deesse, nam non video, unde conjunctio ከመ: dependeat. In Vers. autem Lat. legitur *et comprehendere cogitas*, idcirco ante ከመ: inserenda esse videntur sequentia verba እምዘ ንቱ: ዓለም: ወትምክር:: Error facile oriri potuit e similitudine vocabulorum ከመ: et እም::

Vs. 4. ሠሉሰ: Vitiose pro ሠሉስ:: eadem vitiosa scriptio in hoc versu mox redit, quam igitur similiter emendes.

Vs. 7. በእሑት: መጽልወ: Lege በእሑቱ: መጽልዎ::

Vs. 8. ነፋስ: Vitiose pro ነፋሳ::

Vs. 11. ሚመጠነ: Vitiose pro ሚመጠኒ:, prouti recte vs. 12 et 13 scriptum est.

Vs. 13. ፋኖት: Legendum est ፋኖሙ:, nam in duobus versibus, qui mox praecesserunt, post ሚመጠኒ: etiam pluralis usurpatur, et in Vers. Lat. similiter pluralis occurrit: fortassis error exstitit inde, quod in duobus mox sequentibus versibus legitur ፋኖት::

Vs. 16. እመ: Verosimiliter legendum est እም:, nam in tali verborum constructione, qualis h. l. occurrit, praecedente ሶበ: (cf. vs. 11), usurpari solet እም:, cf. LUDOLFI *Lex.* in h. v.

Vs. 28. ትገሙራ: Lege ገሙራ: cf. vs. 17: fortasse librarius jam inceperat sequentem vocem scribere, an-

tequam illam scripto mandaverat, sed, primâ literâ fere descriptâ, errorem cognovit, nec tamen eam delevit.

Vs. 21. ለዘ፡ ኀለፈ፡ Pro his in Vers. Latinâ melius legitur *quae tua sunt, tecum adolescentia;* quacum Arabs etiam quodammodo consentit; habet enim *et tui similis.* Auctor nimirum h. l. in eo est, ut demonstret, frustra Ezram laborare, ut Dei rationem agendi intelligat, nam ne eas quidem res, quas quotidie ante oculos haberet, ipsum intelligere. Error procul dubio jam in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops, affuit, et pro iis, quae Latinus legit, in eo repetita fuisse videntur, quae ad finem vs. 19 leguntur. — Ib. ኢትኍበል፡ Lege ኢትኍሰል፡ vide vs. 20.

Vs. 22. ምኅለቅቱ፡ Lege ምኅለቅተ፡ quia አልቦ፡, quod mox praecessit, occurrit notione *non habendi.* — Ib. ፋኖቱ፡ quod ad finem huius versus occurrit, vitiose scriptum est pro ፋኖቲ፡, cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 150 mediâ.

Vs. 24. ሐሬእ፡ Lege ሐሬኢ፡, fortasse vitium est typographicum. — Ib. ጎሁ፡ In LUDOLFI *Lexico* habetur ጎዩ፡ sed in eiusdem *Grammatica* p. 82 not. legitur ጎሆ፡, quod item invenitur in nostro libro XIII. 62. — Ib. ወንጹብእ፡ Vitiose pro ወንጹብኦ፡, nam est pro ወንጹ ብእሲ።

Vs. 25. ንሀርግ፡ Lege ንሀሪግ፡, nam verbum h. l. in subjunctivo poni debet, et radix ሀርግ፡ in LUDOLFI *Lexico* ad primam conjugationem refertur. — Ib. ንጸብእ፡ Lege ንጸብኦ፡, cf. quae ad vs. praecedentem diximus, nisi እሞ፡ (pro quo LUDOLF. habet ዶሞ፡, et de cuius genere vide eius *Gr. Aeth.* p. 101 ad fin.) in masculino etiam genere usurpari possit, sicuti in versu mox sequenti fit.

Vs. 28. ተወሀበተ: Lege ተወሀበት:: — Ib. ትጸር: Secundum vulgarem legem legendum esset ትጹር:, a quâ unice verbum ሖዊር: deflectere Ludolfus monuit. Fortassis etiam ጸዊር: in subjunctivo cum *o* loco *u* scribitur, quod, si ex aliis locis constaret, lectio h. l. sana esset.

Vs. 30. ወእኮ: — ወዘውእቱ: Cum Vers. Latinâ vocabulum እኮ: et sequens ወ copula ejicienda mihi videtur. Auctor enim vult, homines terrestres solummodo intelligere posse ea, quae in terrâ sunt, sicuti Deus coelestis coelestia cognoscit. Hanc vero oppositionem hominum et Dei alius dein aegre tulit, quia ex eâ facile cogatur, Deum *solummodo* intelligere coelestia, ideoque terrena ignorare. Hanc ergo ob causam, fortasse jam in Cod. Gr. textûs depravatio obtinuit.

Vs. 31. ኢሴኤለኩ: Lege ኢሴኢለኩ: LUDOLFUS non monuit, imperfectum formari vocali *e*. — Ib. ልበ: Vitiose pro ልቡ::

Vs. 32. ዘላዕሉ: ፍኖተ: Vocabulum ላዕሉ: non potest esse perfectum Conjugationis 2ae, nam tum scriptum fuisset ለሀሉ: a rad. ለሀለ:, quam Ludolfus notavit quidem, sed nulla eius exempla attulit, idcirco tanquam inusitata habenda est, neque esse potest 3a Conjugatio, quia in verbis, mediâ literâ gutturali praeditis, ea non in usu est, cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 55 ad fin.; idcirco nil restat, nisi ut accipiatur pro praepositione ላዕለ: compositâ cum affixo ሁ, quam igitur cum sequenti voce transpone et sic verte: *propter viam, quae apud eum.* Pro ፍኖተ: igitur legendum erit ፍኖቶ: vel ፍኖቱ: *viam eius.* Praepositio ላዕለ: mox eâdem significatione occurrit, et sic ላዕሉ: et ላዕሌሁ: egregie sibi opponuntur.

Vs. 33. ለሕዝቡ: Legendum videtur ለሕዝበ:, ita ut sensus sit *populo peccatorum.*

Vs. 34. ኦሬቶሙ: In LUDOLFI *Lex.* legitur ኦሬት:, quae forma cum Chaldaicâ voce אוריתא egregie convenit, ideoque mihi praeferenda videtur.

Vs. 35. ውእቱ: quod priore loco legitur, plane otiosum est, et verosimiliter e mox sequenti eâdem voce ortum.

Vs. 36. ዘበ: እንቲአሁ: Haec verba conjunctim sic legenda sunt ዘ በእንቲአሁ::

Vs. 37. ተዘርአተ: Lege ተዘርአት: — Ib. አኪት: Post hoc vocabulum exciderunt sequentia: ወኢይበጽሕ: መካን: ኀበ: ተዘርአት: ሠናይት: vel similia quaedam, uti patet e Vers. Latinâ, in quâ recte haec sententia addita legitur.

Vs. 38. ፊሬ. Vitiosa scriptio pro ፍሬ: cf. vs. 39, 40.

Vs. 39. ኀልዮ: Lege ሖልዮ: non ሐልዮ: uti Laurence conjecit, nam ሐልዮ: est 2^{ae} conjugationis. — Ib. ከበ: Si sequentem vocem መጠኔዘ: reddas *tantum*, illud vocabulum omnino in textu retineri posset, nec sensu tenus tum differt a Versione Latinâ, in quâ tamen textus Graecus, ut vulgo, magis ad literam expressus esse videtur. Fortasse tamen e textu ejiciendum est, quod si facias, Vers. Aeth. ad literam consentit cum Vers. Lat. Facile enim inseri potuit ab aliquo, qui sequentem versum scribere incepit, antequam hunc finiverat, sed mox, erroris sui conscius factus, illud vocabulum, ut saepius jam observavimus, delere neglexit. Si igitur illud elimines, vocem መጠኔዘ: reddere debes *quantum*, cuius notionis aliud exemplum invenire potes in LUDOLFI *Lexico* h. v., quamvis hic dicat, vocem መጠን:, cum ዘ affixo compositam, significare *tantum.* Pro

ተወልዶት፡ lege ወለዶት፡፡ — Ib. ኀጢአት፡ Vitiose pro ኀ ጢአት፡፡

Vs. 43. ሌዓሌ፡ Lege ሌሁሌ፡፡

Vs. 46. ሰፋር፡ Vocabulum ባሕር፡ vulgo in foeminino genere usurpatur, quocirca legendum mihi videtur ሰፋሬ፡፡ — Ib. ባሕር፡ In Vers. Lat. melius legitur *tempora*, nam, quomodo de mari metiendo sermo esse possit, quum de aetate mundi dimensâ agitur, non video. Vitium fortasse jam in Cod. Gr. affuit. — Ib. ወኢያረ ምምዋ፡ In Vers. Lat. recte legitur *et non commovebit* (sic lege pro *commovit*). Sensus enim est: Deus terram non commovebit, nec igitur magna illa miracula faciet, antequam etc. Pro *κινήσει* ergo Aethiops in Cod. Gr. male legit *σιγήσει*. Ex hoc vitio alterum ortum fuisse videtur, nam pro sequenti ወኢያነቅዋ፡ recte legitur in Vers. Lat. *nec excitabit* (sic lege pro *excitavit*). Unus alterve facile opinari potuit, post *silere* h. l. sequi debere plane oppositum *sonum edere*.

Vs. 47. ኀጢአት፡ Lege ኀጢአት፡ cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 139 ad fin.

Vs. 48. ተሰአሎ፡ Lege ቲሰአሎ፡፡

Vs. 50. ሰኦለኒ፡ Lege ሰኦሌኒ፡፡ Pro hac forma in LUDOLFI *Lex.* habetur ሲኦል፡, quae cum Hebraeâ voce שְׁאוֹל magis convenit.

Vs. 51. ማኅፅኒ፡ Lege ማኅፀኒ፡ vide vs. 48. — Ib. ቷወሬ፡ Propter subintelligendam conjunctionem ከመ፡ lege in subjunctivo ቷውሬ፡ nec cum Laurencio cogitandum est, post hoc verbum inserendam esse praepositionem እም፡ nam locus sic est reddendus: *similiter festinat terra, ut reddat matrix sua.* — Ib. ውስ ቲቷ፡ Lege ውስቴቷ፡፡

Vs. 53. ይመጽእ፡ Imperfectum male usurpatum est

pro subjunctivo ይምጽእ፡ — Ib. ዘትለፌ፡ Post hoc vocabulum in Vers. Lat. additum legitur *supra quam futurum est*, quae verba verosimiliter jam defuerunt in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops, si vero e Codd. Aeth. exciderint, supplendum erit እምዘይመጽእ። — Ib. እእምር፡ Lege ኣእምር፡ cf. tamen LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 41 VIII. not.

Vs. 55. ይትዮዮ፡ Huic voci praeponenda est litera H.

Vs. 57. ምልእት፡ ማይ፡ Vitiose pro ምልእቱ፡ ማየ።

Vs. 60. ወምንት፡ Lege ወምንቱ።

Vs. 61. ገጹ፡ Lege ገጸ፡ cf. IV. 18.

CAP. III.

Vs. 1. ወይኊዝሙ፡ Non legendum est ወይእኊዝሙ፡ sicuti Laurencius conjecit, sed ወይኤኊዝሙ። — Ib. ሀቢየ፡ Vitiose pro ሀቢይ።

Vs. 2. ብሔረ፡ ሃይማኖት፡ Graece procul dubio fuit *καὶ στερεά ἔσεται ἡ χώρα τῆς πίστεως*. Latinus recte intellexit, genitivum *τῆς πίστεως* pendere a voce *στερεά*, Aethiops autem, quocum consentit Arabs, perverse putavit, eum pendere a praecedente voce *ἡ χώρα*.

Vs. 4. ወመዝቡረ፡ Lege ወምዝቡረ። Potius tamen in foeminino genere legerem, quia vocabulum ብሔር፡ vulgo in eo usurpatur, nisi in toto hocce versu occurreret in masculino genere, quocirca verosimile mihi videtur, vitium hocce ab ipso Interprete esse commissum. Tandem hic versus melius in Vers. Lat. sic legitur: *Et erit incompositio e vestigio, quam nunc vides regnare regionem, et videbunt eam desertam;*

cf. dicta nostra ad h. l. Hoc enim loco sermo est de futura omnium rerum conversione et auctor verosimiliter spectavit Romani imperii interitum.

Vs. 5. ተሬየ: Vitiose pro ተሬኤየ: — Ib. ወርኝ: Pro hoc vocabulo probabiliter legendum est ቀርኝ:: Hae voces facile secum invicem permutari potuerunt, quippe literarum figurâ simillimae. Haec emendatio, quam Cl. Weijersio debeo, confirmatur Versione Latinâ.

Vs. 7. ሁፁሙ: Lege ሁፀሙ::

Vs. 10. ብዙኃን: Ante hoc vocabulum plurima desiderantur, quae leguntur in Vers. Lat. et Arab.: fieri potest, ut haec lacuna jam affuerit in Cod. Gr., quo usus sit Interpres Aethiops.

Vs. 19. ወኢይሴሬዩ: Pro ሴ: sine dubio legendum est ሤ: nam significatio verbi ሰረየ: (in LUDOLFI *Lex.* ሰረሐ:) h. l. non apta est, egregie vero illa, quâ insignitum est verbum ሠረየ: (in LUDOLFI *Lex.* ሠረሐ:). — Ib. ፋኖቱ: Lege ፋኖቲ: in statu absoluto.

Vs. 21. ካሁበ:, quod altero loco in hoc versu legitur, desideratur in Versione Latina, nec sine jure, nam nondum sermo fuit de jejunio Ezrae.

Vs. 23. ወእጽንሀረ: Lege ወእጽኝሀረ::

Vs. 30. Post hocce colon in Latinâ Versione additur: *et ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum,* quae verba similiter occurrunt in Vers. Arab. Fortasse jam deërant in Cod. Gr. quo usus sit Aethiops; si vero e Codd. Aeth. exciderint, supplenda sunt haec vel his similia: ወእምኵሉ: ጽጌያት: ዓለም: ኀረይከ: ለከ: አሐየ: ጽጌ::

Vs. 31. ዓለም: Hoc loco evidenter patet, scribam, si perversam vocem scripserit, eam non delevisse, sed addidisse veram lectionem, vitiosâ in textu relictâ. Nam,

quia mox praecesserat ዒለም፡, negligens scriba putavit, eam vocem denuo h. l. sequi, sed mox, erroris conscius factus, genuinam lectionem በሐር፡ (sic lege) addidit, vitiosâ voce non deletâ. — Ib. በሐረ፡ Lege በሐር። — Ib. ፈለግ፡ Lege ፈለገ።

Vs. 34. ምራዕየ፡ Lege ምራዕዩ።

Vs. 35. ዘእምኵሉ፡, quod primo loco legitur, mutandum est in ወእምኵሉ፡, scriba verosimiliter in errorem inductus est per ዘእምኵሉ፡, quod mox sequitur. Huius enim loci sensus est: *Et ex omnibus* (legibus) *probasti legem* sqq. Haecce emendatio confirmatur Vers. Latinâ, in qua habetur et *ab* (lege *ex*) *omnibus probatam legem* sqq.

Vs. 36. ወዘረዉኵ፡ Lege ወዘረዉኮ። — Ib. ወሀየ ዉኖሙ፡ Lege ሀየዉጦሙ፡, quam emendationem confirmat Vers. Lat. et Arab. Si vero copulam ወ፡ servare velis, invitâ Vers. Lat., praecedentia verba sic legenda sunt: ወኀደጎ፡ እለ፡ ኢተአምኑ፡ በሕግከ። Pro ወኀደጎ፡ tamen lectio in textu oblata etiam retineri potest.

Vs. 38. ቀሎ፡ Lege ቀለ፡, quia dependet a verbo sequenti ብጸሎየ። — Ib. በእንተኩሉ፡ Lege በእንተኵሉ።

Vs. 41. ሰምዑ፡ ወእንግረኩ፡ Haec verba desunt in Vers. Latinâ, et recte omnino abesse possunt. Librarius probabiliter vs. 39 rursus scribere incepit; in quem errorem facile labi potuit, quia vs. 41 ab eâdem voce atque vs. 39 incipit; vitium autem animadvertens, semel scripta non delevit. — Ib. ፈዱፈዱኑ፡ Lege ፈዱፍዱኑ።

Vs. 45. ወኵሎ፡ Copulam ወ፡ potius ejice cum Vers. Lat.: per errorem in textum irrepsisse videtur ob creberrimum huius particulae usum. — Ib. ሐሜም፡ Lege ሐሜሞ።

Vs. 48. ሠዐር: Lege ሠዐረ።

Vs. 49. ኢርኢኮ: Procul dubio cum Vers. Arab. legendum est ኢርኢክ:, nam ex iis, quae modo antecedunt, patet, sermonem esse de mortuis, quos Ezra nunquam viderat, Angelus vero non dici potest hos nunquam vidisse. — Ib. ኦንግረክ: Lege ኦኖግረክ። — Ib. ሕማዋ: Pro hoc vocabulo, quod vs. 45 legendum est, nostro loco reponendum est ሕማም: quod ibi legitur.

Vs. 50. ንቡረት: Lege ንቡረቱ።

Vs. 54. ቀደሙ: Lege ቀዲሙ: vide vs. 53.

Vs. 56. እሙ: Lege ከሙ: sicuti etiam in Vers. Lat. habetur, in qua Gr. ὅτι saepissime *quoniam* redditur. Sensus enim huius loci, quem Laurencius non intellexit, hic est: *Et dixi, quomodo, Domine! dixisti servo tuo, te in vitam revocaturum esse eos, quos creasti, una conjunctim.* Respicit nimirum auctor ad ea, quae vs. 53 dixerat Angelus.

Vs. 59. ኡብሀል: Ludolfus in *Gr. Aeth.* p. 84 literam ሀ: in Imperativo non addidit; in pronuntiatione parum percipitur auribus; videtur ejicienda. — Ib. ወበለ: Lege ወበላ: quia affixum foemininum accedere debet, teste Vers. Lat.

Vs. 61. Ante hunc versum inserenda sunt ea, quae leguntur in Vers. Lat. V. 48: cff. quae ad h. l. diximus. Facillime omitti potuerunt in Codd. Aeth., nisi jam desiderata fuerint in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops; nam haec, quae inserenda sunt, in idem vocabulum desinunt, quo praecedens versus finitur. — Ib. ማኅፀን: In Vers. Lat. recte legitur *infans:* cff. quae ad Vers. Lat. annotavimus. Idcirco pro ማኅፀን: lege ኅፃን: (in Ludolfi *Lexico* ሕፃን:). Vitium facile oriri potuit e repetitâ literâ መ statim praecedente.

Vs. 64. ነእስ፡ Forma foeminina debet esse ንእስ፡፡ — Ib. እምኔክሙ፡ Interpres Aethiops in Cod. Gr. pro ἡμῶν, quod Latinus recte reddidit, perverse legit ὑμῶν. — Ib. ወወይእቲ፡ Contexta oratio postulat, ut legas እው፡ ወይእቲ፡ consentiente Versione Latinâ, sensus enim est: *Ecce profecto, de quâ locutus es, num illa mater vestra* (l. nostra) *juvenis* (adhuc est), *an consummavit senectutem suam?*

Vs. 65. ተስእላ፡ Lege ተሰእላ፡፡ — Ib. ወበለ፡ Lege ወበላ፡፡

Vs. 66. ዘበ፡ ኈደለ፡ Lege ዘበኈደለ፡፡ — Ib. ሜኈፀነ፡ Vulgaris scriptio, quae etiam in praecedentibus occurrit, est ሚኈፀነ፡ quam ergo h. l. restitue.

Vs. 67. እምቀደምትኔክሙ፡ Lege እምቀደምቲኔክሙ፡ quia ቀደምት፡ est forma pluralis.

Vs. 68. ወሀለወ፡ In Vers. Latinâ melius legitur *tanquam senescentes* (i. e. e vetustâ procreatae) *creaturae.* Graece verosimiliter fuit *ὥςπερ κτίσεις γηρώσαι,* quae vocabula depravata fuisse videntur in *ὥςπερ κτίσεις καὶ οὖσαι,* sicuti Aethiops legit.

CAP. IV.

Vs. 11—13. H. l. nonnulla leguntur in Vers. Lat. et Arab. quae desunt in Vers. Aeth. Verosimile mihi videtur, Cod. Graec., quo usus sit Aethiops, h. l. mancum fuisse: nimirum nullam inveni causam, quae suaderet, ut ea e Cod. Aeth. excidisse credam: nulla igitur addenda puto textui Aethiopico.

Vs. 13. ይትሔተሙ፡ እለ፡ Haec verba procul dubio sunt ejicienda, tanquam per errorem e modo praece-

dentibus repetita; contexta oratio et Vers. Lat. nostram opinionem confirmant. — Ib. ለሃይማይማት: Lege ለሃይማኖት: scriba per errorem literas ይማ: bis scripsit, et oblitus est literam ኖ inserere. — Ib. በዕድ: Vitiose pro በዕዴ: nam est *subjectum* praecedentis verbi ኦበ: non vero eius *objectum*. Huius enim loci a vs. 1—13 sensus est: Deus ipse omnium ultimus erit (vs. 1) et antequam omnia, quae jam existunt, erant creata (vs. 2—13), ipse etiam solus erat, nec alius una cum eo existebat: sicuti igitur *Ω* erit, sic et *A* fuit.

Vs. 14. ምንት: Vitiose pro ምንቱ::

Vs. 15. እስም: ቀደሚሆሙ: sqq. Hic locus valde est depravatus, veram tamen lectionem habet Latinus: *Finis enim huius seculi Esau et principium sequentis Jacob.* Quocirca textum Aethiopicum sic emenda: እስም: ማኅለቅቱ: ለዝንቱ: ዓለም: ዔሳው: ወቀደሚሆሙ: ለካልእ: ዓለም: ያዕቆብ:: Quatuor illa vocabula post እስም: facile e textu excidere potuerunt per oculorum aberrationem, quia desinunt in idem vocabulum, quod mox ante እስም: praecessit. Ceterum, postquam pro ወቀደሚሆሙ: in Codice perverse scriptum erat ለቀደሚሆሙ: alius, nescio quis, ad marginem emendavit ቀደሚሆሙ: et dein utraque lectio in textum recepta est.

Vs. 16. ጽንፈ: Hic versus similiter corruptus est et sic restituendus: እስም: ጽንፉ: ለሰብእ: ወካተማሁ: ለሰብእ: በከመ: ሰኰናሁ: ወእዴሁ: *nam imum hominis et supremum hominis est tanquam planta pedis eius et manus eius.* Haec lectio confirmatur Versione Arabicâ et Latinâ: cff. quae ad hanc annotavimus. Vitium in textu Aethiopico facile oriri potuit. Pro ሰኰናሁ: scriba perverse scripsit ሰኰና:, sed alius veram lectionem ሰኰናሁ: ad marginem adnotavit. Haec tamen

perverso loco post ጽንፍ፡ in textum recepta est, vitiosâ lectione simul servatâ. Verum ጽንፍ፡ jam mutandum erat in ጽንፈ፡, quia sequens vocabulum in Genitivo cogitandum erat, et quum librarius putaret ሰማያ፡ in statu constructo esse positum, copulam ወ sequentis vocis delevit.

Vs. 19. ዶሌቀ፡ Lege ዶሌቀሌቀ፡; de hocce statu constructo cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 131 (10). — Ib. ነገረ፡ Mox similiter legitur idem hocce vocabulum, utroque tamen loco legendum videtur ነገር፡ consentiente Vers. Lat.: Angelus enim ipse loquitur.

Vs. 21. ይለጽቅ፡ Hoc et sequens verbum potius in 1[a] personâ legendum est, sicuti patet e versu sequenti : recte sic legitur in Versione Latinâ.

Vs. 22. እትኔሠሡሙ፡ Lege እትኔሠዋሙ፡፡ — Ib. ሀሞዩሆሙ፡ Hoc vocabulum e textu delendum videtur: si enim servandum esset, praecedenti verbo affixum ዩ affixum fuisset. Videtur esse glossa, nescio a quo ad marginem Codicis posita, ad indicandum, Deum hosce homines visitaturum esse, *quia* injuste egerunt, idcirco illum eorum injustitias puniturum.

Vs. 23. ዘዓመት፡ Per errorem hoc vocabulum bis legitur.

Vs. 24. ወጽፉሰት፡ Potius legendum est ወዕፉሰት፡ confirmante Vers. Lat. — Ib. ወዘወርኅ፡ Ex auctoritate Versionis Latinae, minime obstante oratione contextâ, lege ወዘ▽፡ ወርኅ፡፡

Vs. 25. Cum contextâ oratione (cf. initium versûs mox sequentis) melius conveniunt, quae in Versione Latinâ habentur. Error vero ortus fuisse videtur e Cod. Gr. depravato et ab Interprete male interpuncto. Graece verosimiliter sic lectum fuit: *καὶ ἡ γῆ ἡ ὤφθη*

ἐσπαρμένη οὐκ ὀφθήσεται. Interpres vero Aethiops vocem *οὐκ* non ante *ὀφθήσεται* sed ante *ὤφθη* legit: hic enim error facile committi potuit ab aliquo, qui, hunc locum describens, primum totam sententiam legit, et tum scripto mandavit, quo simul factum est, ut comma perverse poneretur post *ὤφθη*.

Vs. 28. ወቱፋገዩሙ: Laurence conjecit, legendum esse ወቱደፋገዩሙ:; fortasse vero legendum est ወቱኀገዩሙ: eâdem significatione, quamvis LUDOLFUS in *Lexico* h. v. quintam conjugationem huius verbi non memoraverit. Nil tamen impedit, quominus adesse potuerit. Tandem hic locus melius sic legitur in Vers. Lat.: *et expavescet terra cum his;* vitium tamen jam affuisse videtur in Cod. Gr., eiusque origo facile intelligitur e depravato Cod. Gr. Postquam enim praepositio *σύν* ante *τοῖς κατοικοῦσι* e Codice exciderat, vel librarius Graecus vel ipse Interpres Aethiops haec verba mutanda esse censuit in *τοὺς κατοικοῦντας* et verbum *φοβέομαι* non in passivo, notione *expavescendi*, sed in medio accepit, notione *terrendi*. — Ib. ይኑብርቀ: Lege ይፋብርቀ::

Vs. 31. ለበ: Lege ሉበ::

Vs. 32. ቲደምሰሰቲ: Perverse h. l. perfectum usurpatum est pro imperfecto ቲዴምሰሱ:: — Ib. ሙእቲ: Vitiose sic legitur pro ሙስና:, confirmante contextâ oratione et Versione Latinâ. — Ib. ዘንቱ: In Vers. Lat. melius habetur *tantis:* Aethiops pro *τοσούτοις* perverse legisse videtur *τούτοις*.

Vs. 33. ዘሰበ: Praestat, cum Vers. Lat. legere ወሰበ::

Vs. 34. ዘንቱ: Lege ዘንተ:, nam pendet a verbo sequenti እንግርክ::

Vs. 37. እኩየ: Legendum videtur እኩይ: sensus

enim est: *ne timeas, sed securus sis cogitationis tuae malae, quam supra* (II. 41, 60) *pronuntiasti, te nempe* sqq. Versio Latina verbis valde discrepat a Versione Aethiopicâ; similis tamen eius sensus est, quem sic reddendum esse puto: *securus sis, nec timeas, nec cum prioribus temporibus* (i. e. *sicuti antea* IV. 33, 51) *festines vana cogitare,* (*sperans fore*) *ut non longe absis ab extremis temporibus.*

Vs. 38. ኅሀበ: Vitium fortasse typographicum pro ኅዐበ::

Vs. 39. ሰንበት: Lege ሰንበት::

Vs. 40. በይእቲ: In Vers. Lat. videtur melius legi *in octavâ* nocte; fortassis in Cod. Gr. pro ὀγδοῇ male lectum fuit αὐτῇ. — ተሀከ: Cl. Weijersius legendum proposuit ተሀውከ:, cuius verbi notio cum contextâ oratione egregie convenit. Fortasse tamen lectio in textu obvia defendi possit: ተሀከ̈: enim est Conjugatio VI a rad. ሀከ̈: quae non occurrit in *Lexico* LUDOLFI, sed cuius derivatum etiamnum superest in voce ሁከት: *tumultus*. Antiquissima radix procul dubio fuit bilitera ሀከ:, quae fortassis originem duxit e sono naturali ሀ, qua admirationem et proin conturbationem suam homines exprimere solent. Haec tamen radix bilitera dein, sicuti in linguis Semiticis observatur, prolongata est; vel litera ultimâ duplicandâ, unde ሀከ̈:; quod h. l. occurrit, vel literâ liquidâ inserendâ, unde ሀወከ:; significatio tamen eadem mansit. Idem observatur in linguâ Arabicâ, in qua هوك cum mediâ literâ liquidâ in Sp. V. notat *attonitus fuit*, et هَوَّاكٌ et مُتَهَوِّكٌ *attonitus, obstupefactus;* ab هكا cum ultimâ literâ liquidâ

superest أَهْكَاه *attoniti*; et هكر cum ر in fine *obstupuit*, *admiratione captus fuit.*

Vs. 41. ቀደማ፡ Lege ቀደሚ። — Ib. ኵነኔከ፡ In Vers. Lat. melius legitur *creaturae*. Pro τῆς κτίσεως ergo Aethiops in Gr. Cod. procul dubio legit τῆς κρίσεως, qua lectione semel acceptâ, pronomen σοῦ facile additum fuit. — Ib. ሰማየ፡ Lege ሰመዩ። — Ib. ወምዮሬ፡ Lege ወምዮር። — Ib. እንተ፡ In Vers. Latinâ pro hac sententiâ legitur *Et erat tunc spiritus:* utraque Versio defendi potest. Latina tamen Versio fortasse praeferenda est, quia Spiritus Dei super orbem terrarum expansus fuit, antequam singula erant creata, sicuti in initio libri Geneseos legitur. — Ib. ወተጸለለ፡ ወምሉእ፡ Haec verba e textu ejicienda sunt: in Vers. enim Lat. et Arab. desiderantur, neque ullum sensum praebent. Vitiosa videtur esse lectio pro iis, quae in initio versûs 42[i] sequentis habentur, utrâque lectione per errorem in textum receptâ.

Vs. 42. ወይትበል፡ In Versione Latinâ apte legitur *et silentium*, quocirca lege ወኢይትበል፡, belgice *en men sprak niet.* — Ib. ይምሀ፡ Lege ይምሆ።

Vs. 43. ውእቱ፡ Vitiose pro ውእቱ።

Vs. 44. ወበሳኒቱ፡ Fortassis in hoc vocabulo eadem constructio latet, quae in phrasi Arabicâ ثَانِى يَوْمٍ, nam ሳኒት፡ per se significat *posteram diem:* cf. LUDOLFI *Lexicon* h. v. Eadem dicendi ratio redit X. 4, 74. Quod si verum sit, in vocali 4[i] ordinis literae ቱ latet affixum foeminini generis ሃ. — Ib. ይሰሰል፡ ማእኅለ፡ Pro ማእኅለ፡ sine dubio lege እምእኅለ፡, et postquam hoc vitium in Codicem irrepserat, pro ይሰሰለ፡, sicuti legen-

dum est, scriba videtur substituisse ይሰስሉ፡, putans huius verbi subjectum esse መንፈስ፡ ዘሰማያት፡፡

Vs. 46. እዘዝኮ፡ Lege እዘዝካ፡፡ — Ib. ለማያቅ፡ Lege ለማያት፡፡ — Ib. ሱቡሀ፡ Lege ሱቡሁ፡፡

Vs. 47. ይትርፋ፡ Lege ይትርፉ፡፡ — Ib. ውስቴቶን፡ Lege ውስቴቴን፡፡ — Ib. ብዙኝ፡ Lege ብዙኃ፡፡

Vs. 49. ኍበረ፡ Lege ሑበረ፡, nam significatio radicis ኀበረ፡ in nostrum locum non quadrat.

Vs. 53. ይትለአኳ፡ Vitiose pro ይትለአኩዎ፡፡

Vs. 54. ኀሙስ፡ Post hoc vocabulum excidit ሁለት፡፡ — Ib. pro እዩ፡ lege እዩ፡፡ — Ib. ማየ፡ ፍጌቡ፡ De hac phrasi, quae redit vs. 58 sequenti, ubi tamen legitur ፍጊቡ፡ aestumatissimus Praeceptor meus Weijersius hancce observationem mecum communicavit: »Suspicor, et fere pro certo habeo, vocabulum ፍጌቡ፡ sive ፍጊቡ፡ esse nomen, *nobis adhuc ignotum*, quo Habessini *Oceanum* expresserint: ipsum quidem hoc Graecum vocabulum in linguam suam receperunt (ውቅያኖስ፡); at nihil tamen obstat, quominus eandem notionem etiam vocabulo, ipsis proprio, enuntiaverint. Si hoc admiseris, facillime fieri potuit, ut Aethiops, cum Graece invenisset *aqua congregata* (ut consensus Latini Interpretis et Arabis certum facit in Graeco exemplari scriptum fuisse), pro hoc (sensum loci, non ipsam litteram exprimens) *aqua Oceani* posuerit. Certe sub vocabulo ፍጌቡ፡ hîc nomen *substantivum* latere, evidens est e statu constructo antecedentis nominis ማየ፡, et mendo vacuam esse vocem illam ፍጌቡ፡ sive ፍጊቡ፡, repetitio ejus arguere videtur. Nisi vero pro nomine *proprio* illud habeas, derivandum esset a radice inter Habessinos plane inusitatâ ፍገበ፡, cui hoc quoque accedit, quod tum ipsa forma a solenni formarum ratione prorsus

discreparet. Habent enim Aethiopes quidem formam ንጊር: (quae frequens est, conf. *Gramm. Aeth.* p. 88), at ignota, quantum scio, apud illos est forma aut ናጊር: aut ናጌር:. Quare ex qua tandem parte rem consideres, non aliud quid quam proprium nomen hîc latere apparet."

Vs. 55. ንፋስ: Lege ንፋሳ::

Vs. 58. እዴ: Lege እዶ:: — Ib. ሜዮ: ንጊሰ: cf. quae ad vs. 54 dicta sunt. — Ib. ለይብስ: Post hoc vocabulum, propter literarum similitudinem, excidisse videtur ዘይብስ:: — Ib. ሀ: In Vers. Lat. recte legitur *mille*. cf. etiam HOFFMANN *das Buch Henoch* c. 59 vs. 7 et 9. Aethiops pro *Α* in Cod. Gr. perverse legisse videtur *Δ*.

Vs. 59. ኅበሆቱ: Lege ኅበሆቱ::

Vs. 60. ቱፈቅዱ: Lege ቱፈቅዶ: suadente Versione Latinâ.

Vs. 61. ቅድሜሁ: In Vers. Lat. legitur *coram te*, quae verba apprime sententiae conveniunt. Ut textus Aethiopicus probandus esset, ad finem versûs sequi debuisset *et dein hominem*, sed haec verba desiderantur quoque in Vers. Lat.: idcirco cum hac legendum est ቅድሜክ:: — Ib. ወአዕዋፍ: Lege ወአዕዋረ:: Pro hac voce in Vers. Lat. melius legitur *reptilia*, nam de avium creatione jam sermo fuit vs. 54 antecedenti.

Vs. 62. ንሠጠቆ: Lege ንሠጥቆ:: Pro sententiâ, quae h. l. legitur, in Vers. Lat. et Arab. habetur *ex eo educimur*, quae verba textui Aethiopico sunt praeferenda. Auctor enim h. l. in eo est, ut gentis Israëliticae prae ceteris populis excellentiam demonstret: primum, quia ex Adamo totius, a Deo creati, orbis terrarum domino originem duxit, et dein, quia prae omnibus ex Adamo natis populis a Deo electus est cf. vs. 64. Vitium autem videtur jam latuisse in Cod. Gr.

Vs. 64. ወከመ፡ ነጠብጣበ፡ — ወኢምንቱ፡ Pro iis, quae h. l. habentur, in Vers. Lat. legitur *et quasi stillicidium de vase similasti abundantiam eorum*, quae verba aptissimum sensum praebent: auctor enim ait, ceteras gentes, etsi multitudine longe superent gentem Israëliticam, vel sic tamen hanc illis praestantiorem esse. Pro Graeco *εὐθήνεια*, sicuti Latinus recte legisse videtur, Aethiops in Cod. Gr., ut probabile est, invenit vocem *εὐθυμία*. Sequentia autem verba: ከመ፡ ወኢምንቱ፡ et እሙንቱ፡ ወ፡ e textu ejicienda sunt, nisi in Codicibus Graecis jam perverse affuerint. Procul dubio vel *ὥςπερ οὐδέν* in Codd. Gr., vel ከመ፡ ወኢምንቱ፡ in Codd. Aeth. ad marginem notatum fuit, ut insereretur paulo supra post ተወልዱ፡ quippe ibi omissum. Dein vero scriba ex aliis Codicibus ea verba vero loco in textum inseruit, sed ex eo Cod., in quo ad marginem notata erant, insuper hoc loco perverse addita sunt. His autem semel in textum receptis, vocabula እሙንቱ፡ ወ፡, vel *αὐτοί καὶ*, facile ab alio inserta sint, putante, ea per errorem esse omissa, et recte ita judicare poterat, quia sine illis nullus est verborum sensus. Pro horum verborum ejectione militat, praeter Versionem Latinam, contexta oratio, nam *abundantia* gentilium egregie sic comparatur cum *guttâ situlae*, quae imago non infrequens est in libris sacris et huic loco in primis apta, ut sic gentilium abundantem multitudinem inferiorem esse appareat exiguo gentis Israëliticae numero. Tandem animadvertendum est, auctorem h. l. videri sub oculos habuisse Jes. XL. 15. — Ib. ወኢምንተኒ፡ Lege ወኢምንቱኒ።

Vs. 65. እንቱ፡ Lege እንተ። — Ib. ዓለምኒ፡ Lege ዓለምኒ።

CAP. V.

Vs. 3. ሀቡብ: Lege ሀባብ:, foeminina forma a ሀቢብ:: — Ib. ፈለገ: Post hoc vocabulum insere ወእምነ: ዘ ይፈቅዱ: docente Versione Latinâ et oratione contextâ. — Ib. ይርኅብ: Lege ይርኅባ:: — Ib. መጹቡብ: Lege መጹብብ: — Ib. ይኄሉ: Post hoc vocabulum excidisse videtur መጺእ: consentiente Versione Latinâ et postulante oratione contextâ.

Vs. 4. ፏ፯ጽቲ: Lege ፏ፯ጽቲ: nam subjectum est antecedentis verbi ሀለወት:: — Ib. ሀቡብ: Lege ሀባብ::

Vs. 6. ወእሳት: Copula ወ per errorem huic vocabulo praefixa esse videtur: recte deest in Vers. Lat.

Vs. 8. ቆዮር: In Vers. Lat. desideratur et sine dubio ejiciendum est e textu Aethiopico: scriba, hoc vocabulo jam scripto, errorem suum animadvertit et veram lectionem ሀገር: continuo addidit, vitiosâ voce non deletâ: hanc enim veram esse lectionem docet vs. 4 antecedens. — Ib. ፏለፈ: Contexta oratio et Vers. Lat. docent legendum esse ኢፏለፈ::

Vs. 11. ኮነ: Ante hoc vocabulum in Versione Latinâ, cui consentit Arabica, legitur *et factum est*, *quod judicatum est*, quae sententia fortassis e Codd. Aeth. excidit, vel jam in Cod. Gr. defuit, quo usus sit Aethiops. — Ib. ሙብእሲ: Lege ሙብእሶ:: — Ib. ወሙሆቡብ: Lege ወሙሆብብ::

Vs. 12. Hic versus sic legendus est: ወሙኆዩ: ወእኩዩ: ወቡዘኆ: ሕማም: እኩዩ: ቆሉእ: ወጸማ: ወሠረቆ:: subintelligendum enim est verbum ኮነ: quod in versu antecedenti legitur et vocabulum ቆሉእ: construitur cum statu constructo.

Vs. 14. ኀጢአት፡ Legendum esse videtur መዕቡብ፡, consentiente Vers. Lat. et oratione contextâ. In antecedentibus enim Angelus dixit: vias huius mundi, postquam Adamus peccaverit, factas esse scabras et angustas, omnesque homines eam viam transire debere. Fortassis aliquis ad marginem notavit vocem ኀጢአት፡, ut sic significaret, quid per *vias scabras et angustas* intelligendum sit; voce መዕቡብ፡ autem in Cod. fere deletâ, alius putavit, vocem ad marginem scriptam pro hac fere deletâ in textum esse recipiendam. Fieri autem potuit, ut in Cod. Gr. haec depravatio jam obtinuerit locum.

Vs. 15. ሞንት፡ Bis in hoc versu sic scribitur pro ምንት፡ *quid?* — Ib. ተንወሀቀዕ፡ Laurence legendum censet ተንወአቀእ፡ sed huius vocis significatio sententiae non convenit; significat enim *apte disponere*, non vero *disponere animum*, sicuti Laurence putat: et ne haec quidem notio apta est h. l. Lectio vero in textu obvia recte sese habere videtur. Forma enim እንወዕወሀ፡ est quintae, alias nonae, conjugationis a quadrilitero ወዕወሀ፡ quod in LUDOLFI *Lexico* non invenitur, sed cuius significatio facile intelligitur ex Arabico زَعْزَعَ *commovit*, *agitavit*, *perculit* aliquem. Secundum vim igitur conjugationis quintae, alias nonae, እንወዕወሀ፡ significat *huc illuc motus*, *agitatus fuit*, cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 35 V., quae notio vindicatur etiam oratione contextâ et Vers. Lat. Unicum discrimen inter ወዕወሀ፡ et زَعْزَعَ est permutatio literae ز (Aeth. H) cum ወ, similiter vero זבח *mactavit*, Ar. ذبح, Aethiopice est ወብሐ፡ Hancce observationem acceptam refero carissimo meo Praeceptori Weijersio.

Vs. 19. ተአመንዎ: In Vers. Lat. recte legitur *passi sunt:* pro *πεπόνθασι* ergo Aethiops perverse in Codice suo legit *πεποίθασι.* Recte enim sese habere Versionem Latinam docent vs. 14 et 20. In illo dixerat Angelus, neminem nancisci posse salutem futuram, nisi qui per viam mundi scabram et angustam transierit. His reponit Ezra vs. 18 et 19, se aequitatem huius agendi rationis non intelligere, quandoquidem tam pii quam impii homines hanc viam transire debent, illos autem molestiam hancce patienter ferre posse, quia iis spes est salutis futurae, sed his et molestiam subeundam esse nec posse hos eam spem fovere, idcirco hos pro hac quam perpessi sint molestiâ nullam accipere mercedem. Huic vero objectioni Ezrae Angelus respondet vs. 20, impiis non competere, ut pro hac re ullam consequantur mercedem, sed pereant necesse esse, qui Dei legem negligant.

Vs. 21. ወዠ: Lege ዉዘ::

Vs. 24. ሕጐ: Lege ሕጎ: pro ሕገሁ::

Vs. 25. ዘሆሬቆ: Lege ዘሆሬቄ::

Vs. 28. እኩየ: Lege እኩዩ:, scriba procul dubio opinatus est, hanc vocem esse objectum verbi ኧቢለኩ: quod modo antecessit; sed pendet a praepositione እም: quocirca H, quae huic praepositioni addita est, potius ponenda est ante verbum ኧቢለኩ::

Vs. 29. ይስተሬኢ: Lege ይስተርኢ: cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 42 lin. 13 sqq. Ad finem huius versûs in Vers. Lat. additum est *in annis quadringentis;* cff. quae ad Vers. Lat. annotavimus. Fieri potest, ut haec verba dein a Christiano interpolatore addita sint.

Vs. 30. ምንፈስ: Lege ምንፈሰ::

Vs. 32. ይፈቅሁ: In Versione Latina recte additur

quod nondum vigilat saeculum; cf. vs. 27 huius capitis; fortassis haec verba jam desiderabantur in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops.

Vs. 33. ወእለ፡ Dele copulam ወ, quae e creberrimo eius usu h. l. per errorem scripta est. Ante እለ፡ excidit ቷጉብእ። — Ib. ወእምድኅረ፡ ዘንቱ፡ Pro his vocabulis in Vers. Lat. recte legitur *promtuaria;* modo enim sermo fuit de corporibus resuscitandis, jam vero agitur de animis, quae in promtuariis servantur; cf. II. 44. Latinus interpres in Cod. Gr. recte legit *τὰ ταμεῖα,* sed in Codice, quo usus sit Aethiops, fortasse legebatur *τα τα μετα,* quod hic perverse scriptum putavit pro *μετὰ ταῦτα,* nisi in Cod. Gr. hanc lectionem jam invenerit. Versionis Latinae integritatem vindicat affixum ሆሙ፡ in ውስቴቶሙ። Hic locus aperte docet Aethiopem subinde non intellexisse, quae reddiderit, nam textus Aethiopicus nullum sensum praebet.

Vs. 34. ዘፈጠረ፡ In Versione Latinâ recte legitur *judicii.* Pro *τῆς κρίσεως·* Aethiops male legit *τῆς κτίσεως.*

Vs. 35. ወቶሜጸእ፡ Graece procul dubio fuit *διαβήσονται,* docente Vers. Lat. Auctor nimirum h. l. in eo est, ut demonstret, tempore ultimi judicii misericordiae et longanimitati locum non futurum esse, sed judicium Dei justum et severum futurum; fortasse *δια* deerat in Codice Graeco, quo usus sit Aethiops.

Vs. 36. Deëst hic versus in Versione Latinâ, et sine ullo damno omitti potest. Fortasse pro ቶዕግሠቱ፡, quod in sequenti versu legitur, ad marginem notata fuit, tanquam varians lectio, vox ሣህሉ፡, quae similem significationem habet, atque deinceps alius putavit, vocem ሣህሉ፡ in textum etiam recipiendam esse, et facillime hanc recipere potuit, repetito verbo ወቶቷጋብእ።

Vs. 40. ወኢቶነውሞ፡ In Versione Latina recte legitur *non dominabuntur.* Graece sine dubio fuit *κυριεύσει*, vel, uti Latinus Interpres legisse videtur, *κυριεύσουσι*, nisi in Codd. Lat. legendum sit *et injustitia non dominabitur.* Pro *κυριεύσει* autem Aethiops perverse scriptum invenisse videtur *καθευθήσει*, eandemque lectionem ante oculos habuisse videtur Interpres Latinus, cuius versio servata est in Ms. Sangerm.: in hoc enim similiter legitur *et injustitiae non dormibunt.* Haecce convenientia Ms. Sangerm. cum Vers. Aeth. in loco, in quo Vers. Lat. edita valde discrepat a Vers. Aeth., suspicionem mihi movet, Versionem Latinam, quae in Ms. Sangerm. servata est, non ab eodem illo Interprete esse confectam, a quo Versio Latina, quae edita est, originem suam duxit.

CAP. VI.

Vs. 1. In Versione Arabica huic versui praemittuntur sequentia: *Tunc justi et impii ac peccatores proferent in lucem, quae occultaverant;* cf. FABRICII *Cod. Pseud. V. T.* II. p. 235, quae verba omnino locum suum tueri possunt, fortassis autem jam deërant in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops.

Vs. 2. ወእቱ፡ Vitiose pro ውእቱ፡፡ — Ib. ኢተቀንጺሙ፡ Lege ኢተቀንዩጺሙ፡ cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* Canon VII. in notâ.

Vs. 3. Vocabula ቶፋሥሖት፡, ሀሬፋት፡, ዴዴን፡ et እሳት፡ in statu constructo legenda sunt, si nempe objecta sint verbi ርእዩ፡; fieri tamen potest, ut ab hocce verbo non dependeant, sed subintelligendum sit verbum ኮነ፡፡

Vs. 4. ፀሐየ፡ ወኢወርኀ፡ Perverse haec nomina in statu constructo posita sunt, nam ኢልቦ፡ h. l. significat *non esse:* idcirco lege: ፀሐይ፡ ወኢወርኃ፡፡ Idem vitium occurrit in omnibus nominibus substantivis, quae ad versum usque 15um leguntur: idcirco ea omnia lege in statu absoluto.

Vs. 16. ዓመተ፡ Postulatur status constructus, quia h. l. occurrit determinatio temporis *quamdiu.* De praepositâ conjunctione ኀበ፡ vide, quae dixit LUDOLFUS in *Lex. Aeth.* h. v.

Vs. 19. ወኢይኤብሱ፡ Lege ወኢይኤብስ፡, quia subjectum huius verbi est መኑ፡ quod modo antecessit. — Ib. ውእተወለደ፡ Laurence legendum conjecit ውእቱ፡ ተወለደ፡ sed potius lege ውእቱ፡ ዘተወለደ፡ nam sensus debet esse, *et quis est ille, qui natus est et non* sqq. sicuti modo praecessit *et quis est ille ex iis, qui existunt et non* sqq. Praefero tamen legere ተወለደ፡ omissis literis ውእ, quae a librario scriptae fuisse videntur, exspectante vocabulum ውእቱ፡, sicuti paulo supra legitur post መኑ፡, sed hic, erroris sui conscius factus, literam ቱ non addidit, nec literas, semel scriptas, delevit. Huic sententiae consentit Arabs.

Vs. 20. ሀለወኩ፡ Lege ሀለዉኩ፡፡ — Ib. ይመጽእ፡ Vitiose pro ይምጽእ፡ praecedit enim ዘሀሎ፡፡

Vs. 21. እኩየ፡ Lege እኩይ፡፡

Vs. 25. ዓለም፡ Lege ዓለመ፡፡ — Ib. ወእንተሰ፡ Hoc vocabulum perverse h. l. in textum insertum fuisse videtur, nam sequens particula እስመ፡ vulgo primo loco periodi ponitur et in initio sequentis versûs vox ወእንተሰ፡ egregie locum tenet. — Ib. ፍልቀሙ፡ sqq. Quae h. l. leguntur, minime conveniunt cum iis, quae vs. 20 occurrunt: idcirco praeferenda est Versio Arabica, in

quâ sic legitur: *impios autem longe plures (esse)* cf. FABRICII *Cod. Ps. V. T.* II. p. 236. Huius tamen vitii origo fortasse jam latuit in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops, nisi textûs depravatio orta sit ex omissione vocis ወረሲዓንሲ፡, quâ voce omissâ, sequentia vocabula ad praecedentem sententiam relata sunt et pro ኅሩ፡ scribi debuit ወእኅሩ። Hoc si verum sit, vocabula ዓቀ፡ ኍልቆሙ፡ (non ኊልቆሙ፡) referenda sunt ad ውኍዳን፡ et tota sententia sic legenda est: ውኍዳን፡ ዓቀ፡ ኍልቆሙ፡ እመንቱ፡ ጻድቃን፡ ወረሲዓንሲ፡ ኅሩ፡ ብዙኃን። Postquam verba ዓቀ፡ ኍልቆሙ፡ a scribâ omissa erant, ውኍዳን፡ mutatum esse videtur in ውኍዳን፡, et e margine illa vocabula deinde perverso loco in textum inserta sunt, depravatâ lectione non sanatâ.

Vs. 28. ተሰእላ፡ Lege ተሰእላ። — Ib. ቶወልዶዬ፡ H. l. non requiritur affixum ሁ፡ sed ሆ፡ cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 119 ad fin. idcirco lege ቶወልዶዮ።

Vs. 30. Huic versui subjungenda sunt verba ወን ዪን፡ እምብርት፡, quae in Vers. Arab. recte addita leguntur.

Vs. 33. ወደቴሐት፡ Lege ወደቴሕት።

Vs. 35. ከማሁኬ፡ — ዘእምንቤየ፡ In Vers. Arabica legitur *et haec est ratio processûs, quo utar in judicio, quod promisi*, quae verba aptiorem sensum praebent, quia non *spes sanctorum* sed *ipse Deus* comparatur cum eo, qui pauca sed rariora habet. Codex tamen Graecus, quo usus sit Aethiops, procul dubio jam corruptus fuit. Laurence in collatione Versionis Arabicae ad h. l. dicit, in eâ legi *et haec est ratio processus mei nec in judicio;* quorum verborum sensum non capio, sin verba *nec in judicio* pertineant ad mox sequens *gaudeo*, sensus oritur plane

contrarius ei, qui h. l. adesse debet. Haec valde differunt ab iis, quae in FABRICII *Cod. Ps. V. T.* traduntur, eaque praeferenda videntur, quia egregium sensum praebent. Discrimen componere nequeo, quia Codex ipse Arabicus mihi deest.

Vs. 37. ኔዶ፡ — ጢስ፡ Haec vocabula inter se transponenda sunt, ita ut primum ጢስ dein ኔዶ፡ legatur, consentiente Vers. Arabicâ. Sensus enim est: *Nam illi jam igni assimilati sunt et tanquam fumus facti sunt et tanquam flamma illi arserunt et aestuarunt et interierunt.* In Vers. Arab. perverse sermo est de flammis, quibus impii in inferno absumentur; huius enim opinionis nulla vestigia occurrunt in ceteris huius libri locis. Arabs autem h. l. paraphrasin magis quam versionem tradidisse videtur.

Vs. 38. ሞረቱኪ፡ Lege ሞሮቱኪ። — Ib. ዘኪማኪ፡ Sententia, quae hoc versu occurrit, ab Arabe sic reddita est: *Et tu, o lutum, unde et quomodo factum est, ut ad locum lapsûs deprimaris? Utinam simile fuisses nunquam creatis, et utinam nunquam exstitisses.* Haec verba aptiorem sensum praebent, quam quae in Vers. Aethiop. habentur, in quâ, satis inepte, homo similis esse terrae dicitur. Procul dubio in ዘኪማኪ፡ latet illud *simile*, quod in Vers. Arab. legitur, sed in Vers. Aeth. plura insuper desiderantur. Fortasse vitii origo quaerenda est in depravato textu Graeco.

Vs. 39. ሌበ፡ Vitiose pro ሌቡ። — Ib. ኝቱኪኔኝ፡ Hoc loco requiritur subjunctivus, subintellecto ኪሞ። ergo lege ኝቱኩኔኝ።

Vs. 40. ወዶቱሮሠሖ፡ Lege ወዶቱሯሠሖ፡ sensu optativo.

Vs. 41. ሐዶወ፡ Pro hac formâ linguae Aethiopicae

usus requirit, ut legatur ሕይወ፡ cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 73 init. et *Lex. Aeth.* in v. — Ib. ቆቱ፡ Praecedit subjectum in plurali numero, idcirco legendum est ቆቲ፡ vel ቆቶሙ፡፡

Vs. 42. ዘንሕዩ፡ In Versione Arabica hic versus sic legitur: *Nos autem, quale beneficium est, quod accipiemus, cum secundo* (i. e. postquam vitam terrestrem deposuimus) *vivamus et poenis inferorum afficiamur?* Haec egregie conveniunt cum iis, quae in versu antecedenti leguntur, in quo auctor animalia ratione non praedita felicia praedicat, quippe quae nullam vitam post mortem exspectandam habent. Ut eadem sententia, quae in Vers. Arab. habetur, etiam adsit in Vers. Aeth., pro ዘንሕዩ፡ legendum esset ከመ፡ ንሕዩ፡፡ Verum Interpres Aethiops pro Graeco *ὡς ζῶμεν βίον* procul dubio legit *ὃν ζῶμεν βίον.* Vocula *ὡς* facile cum *ὃν* permutari potuit, quia in antiquâ literarum formâ *ω* non differebat ab *o*.

Vs. 43. ወተማልእን፡ Sine dubio legendum est ወተመልእን፡, quia praecedens verbum etiam in 6ª conjugatione legitur, cuius notio in nostrum locum bene quadrat, nec in LUDOLFI *Lexico* 8ª conjugatio notata est. — Ib. ወኅቡቢ፡ Vitiose pro ወኅበቢ፡፡

Vs. 45. ይዩኝ፡ Lege ይዩን፡፡

Vs. 51. ቃል፡ ትእዛዝ፡ In Vers. Arab. solummodo legitur *decretum*, quod exprimitur voce ትእዛዝ፡, et jure omitti potest ቃል፡፡ Probabile est, scribam primum scripto mandasse ቃል፡, quia ወፅአ፡ ቃል፡ frequens est dicendi formula, sed deinceps, vitium animadvertentem, rectam vocem ትእዛዝ፡ addidisse, mendosâ voce, pro more suo, non deletâ. — Ib. ዘወሀበእ፡ Lege ዘወሀብእ፡ pro ዘወሀበየእ፡, affixum የ፡ referendum est ad ምንሪኪ፡, quod modo antecessit.

Vs. 54. ቢተ፡ Lege ቢተ፡, quia est objectum sequentis verbi. — Ib. እይበውእ፡ Lege እይበውኣ፡: requiritur enim h. l. 3ª pers. plur. foem., ut e contextu patet.

Vs. 55. ፋናዊት፡ In Vers. Arab. melius legitur *septemplex doloris genus*. In seqq. enim piis non *vias* sed *felicitatis gradus* seu *ordines* ostendi memoratur, ac vs. 62 satis inepte *via septima* caeteris viis *major* dicitur; melius vero in Vers. Arab. ibi legitur *septimum doloris genus omnibus hactenus memoratis majus est et gravius;* contexta oratio etiam pro lectione, in Vers. Arab. obviâ, militat, nam in seqq. causa redditur, quare singula, quae impiis ostendentur, *doloris genera*, non vero, quare *viae* sint. Procul dubio Codex Graecus, quo usus sit Aethiops, jam depravatus fuit, in quo pro ὠδῖνας legebatur ὁδοῦς. Postquam hocce vitium in unum locum erat receptum, facile in omnes caeteros versus idem translatum est.

Vs. 57. ወኅሊኦት፡ Post hoc vocabulum excidisse videtur ፍኖት፡, quod in singulis sequentibus versibus repetitur. — Ib. ገቢእ፡ In Versione Arabica recte legitur *facere bonum*. Graece procul dubio fuit ἐπιστρέφεσθαι, *ad meliorem mentem redire* (Hollande, eâdem metaphorâ servatâ, *zich bekeeren*), quem sensum recte intellexit Arabs. Sic enim optime procedit oratio: nam e primo doloris genere, quo impii afficientur, continuo in iis oriri debet cupiditas convertendi se ad meliora, ut ab eo dolore liberi sint, sed alterum doloris genus est, quod se convertere jam nequeant; eo autem gravior fit dolor, quia nunc *volunt* sed *non possunt* se convertere. Porro si auctor solummodo dicere voluisset, impios non posse in vitam terrestrem redire, procul dubio addidisset εἰς τὴν γῆν, et pro ἐπιστρέφεσθαι

potius adhibuisset ἀναχωρεῖν vel κατέρχεσθαι; sed ex hoc verbo Arabs nunquam confecisset id, quod jam in Versione sua expressit; ἐπιστρέφεσθαι vero ab Aethiope facile reddi potuit ገብአ:, metaphorico eius verbi sensu non intellecto.

Vs. 62. ዘነገርኩኩ: Lege ዘኔገርኩኩ:: — Ib. ሎቱ: Lege ሎቲ::

Vs. 63. ወፍኖቶሙስ: Procul dubio putavit scriba, qui modo septem *impiorum vias* memoratas invenit, jam sequi *vias piorum*, ideoque sponte suâ hoc vocabulum scripsit, non animadvertens in Codice aliud adesse, quod, servatum adhuc in Versione Arabica, in eâ redditum est *solatia.* Hoc egregie cum sequentibus convenit, nam in his describitur merces, quae pios manet. — Ib. ይሞጽኡ: Lege ይምጽኡ:, quia praecedit ሀለውሙ:: Cl. Weijersius probabiliter legendum suadet ይፀኡ: cf. vs. 75. — Ib. ሐሚሙ: Vitiose pro ሐሚቆሙ:: — Ib. ይሬጽሙ: Lege ይፋጽሙ:, nam praecedit ኅበሙ::

Vs. 65. ጼሚ: Vulgo scribitur ጸሚ:: — Ib. በሕይ ወቶሙ: In Vers. Arab. tota sententia sic legitur : *ut a vita ad mortem eos deflecteret*, et egregie ita *mors* et *vita* pro *infelicitate* et *felicitate* sibi opponuntur. Hanc igitur Versionem praeferendam esse censeo, quamvis lectio, in Vers. Aeth. obvia, etiam defendi possit.

Vs. 66. የሀይል: Lege የሀይሉ:, nam ነፍስ: h. l. est collectivum.

Vs. 69. ኔምስት: ሠርዬት: Vitiose pro ኔምስት: ሠርሀት::

Vs. 70. ሠሬኛ: Lege ሠሬኜ::

Vs. 71. ሀለውሙ: In Vers. Arab. melius legitur *sciunt*: si enim lectio, in Vers. Aeth. obvia, probetur, non vi-

deo unde ዘኮሙ፡, quod mox sequitur, pendeat, et pro ሀለውሙ፡ legendum esset ሀለው፡፡ Probabile est vitium latuisse in Cod. Gr., in quo pro ἴσασι Aethiops legit εἰσί.

Vs. 72. በትፋሥሕት፡ Lege በትፍሥሕት፡፡

Vs. 74. ፋኖቶሙ፡ H. l. Aethiops denuo perverse legit in Cod. Gr. ὁδοῖ pro ὠδῖνοι; cff. quae diximus ad vs. 55.

Vs. 75. ሞቅሐል፡ Lege ሞቅሐል፡፡

Vs. 76. ሞቅሐል፡ Lege ሞቅሐል፡፡ — Ib. ዘኢገርኩኮ፡ Hoc vocabulum delendum est, mox enim idem sequitur. Procul dubio e margine h. l. perverse in textum receptum est.

Vs. 78. ይርእዮ፡ Lege ይርእዩ፡, nisi cum Vers. Arab. hoc verbum ante duo praecedentia vocabula ponas et sic legas: ይርእዮ፡ ለሚሕትሙ፡ ጸድቅ፡፡

Vs. 80. ወኢገብር፡ ለእግዚኡ፡ Interpres errasse videtur, nam servus non facile dici potest mittere dominum suum, quocirca, consentiente Vers. Arab., lege ወእእግዚእ፡ ለገብሬ፡፡ Fortasse vitium jam in Cod. Gr. affuit.

Vs. 82. ወኢለሙኑኒ፡ Hoc vocabulum nostro loco minime tolerari potest: videtur varians esse lectio pro duobus vocabulis, mox praecedentibus.

Vs. 83. ጸድቀ፡ Lege ጸድቅ፡፡

CAP. VII.

Vs. 1. ቀዳሜ: Lege ቀዳሚ::

Vs. 2. በእንተ: Post hoc vocabulum recte additur in Vers. Lat. *patribus*, *qui*; idcirco in Vers. Aeth. addendum erit አበው: እለ:: Causa huius omissionis procul dubio fuit similitudo vocum አበው: et አበሁ:, quâ factum, ut librarius in describendo Codice ab illâ voce ad hanc oculis suis aberraverit.

Vs. 3. አካዝ: Jos. VII. 1 sqq. legitur עָכָן, fortasse tamen Codex Graecus jam depravatus fuit, nam in Vers. Lat., secundum ed. Sabatieri, etiam legitur *Achaz*.

Vs. 4. ሳሙኤል: In LUDOLFI *Lexico* scribitur ሣሙ-ኤል:, quae scriptio recte convenit cum Hebr. שְׁמוּאֵל.

Vs. 6. መቀድስ: In Versione Latina *pro iis* legitur *qui venerunt in Sanctificationem;* quae lectio melius convenit cum iis, quae leguntur 1 Reg. VIII. Incertum tamen, utrum mendum lateat in Cod. Aeth., an vero jam affuerit in Cod. Gr.

Vs. 7. ኤሊያስ: In Ludolfi Lexico legitur ኤልያስ: quod cum voce Hebraicâ melius convenit. — ምውትን: In Vers. Lat. rectius legitur *mortuo* (cf. 1 Reg. XVII. 21 sqq.); vitium jam affuisse videtur in Cod. Gr.

Vs. 13. ተሰሀሪ: Lege in Imperfecto ተሰሀር: vide LUDOLFI *Lex.* h. v. quamvis secundum eiusdem *Gr. Aeth.* p. 56 VI. 2 legendum sit ተሴሀር::

Vs. 14 ምሒርቶ: In Vers. Lat. legitur *salvare*, cui lectioni contextus valde favet. Fortasse tamen vitium jam affuit in Cod. Gr.

Vs. 16. ኅበሙ: ኅበሙ: Non dubitandum esse videtur,

de integritate huius lectionis. Aethiopes enim, si omnem dubitationem de aliqua re amovere velint, voculam, quae substantivo, ita certissime definiendo, praeposita est, duplicare solent; sic praepositiones ለ: et በ: et pronomen ዘ: geminant, ut omnem exceptionem amoveant ab eo substantivo, cui hae particulae praepositae sunt (cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 100, 119 et 142). Eadem vis est repetitionis voculae ከመ: quam Ludolfus in Lex. p. 392 jam expressit, ubi ከመ: ከመ: በጽሐ: recte reddidit *quod venisset sine ulla exceptione*, addens: »Particula haec repetita certitudinem aliquam significare videtur." Auctor idcirco h. l. dicere vult, *nullum esse sermonem, ne uno quidem excepto, quin talis sit* sqq.

Vs. 17. ወተሞሀር: Lege ወተሞሀሩ::

Vs. 19. ዒዲ: Linguae Aethiopicae indoles requirit, ut post hanc vocem suppleas እንዘ::

Vs. 22. ተሰፋ: Lege ተሰፈ::

Vs. 24. ኦቡዩተ: Lege ኦቡዩቶ::

Vs. 25. ኀጢአት: Lege ኃጢአት::

Vs. 26. እስመ: ሀለወመ: Haec verba legenda sunt post ዘሐመ: quod mox sequitur. Procul dubio ibi omissa erant, sed in margine addita, e qua perverse h. l. in textum inserta sunt, et ob hanc causam omissa esse videtur copula ወ:, quae vocabulo statim sequenti praeponenda est.

Vs. 29. ጉብር: Lege ጉብረ::

Vs. 30. ወእስመ: In Vers. Lat. recte additur *super stellas*, quibus vocibus (vs. 31) opponitur *super tenebras.* Fortasse jam deërant in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops.

Vs. 31. ኢነአምር: In Vers. Lat. rectius legitur *non cogitavimus:* h. enim l. sequi debet causa, ob quam

auctor putat, fore ut facies sua non fulgeat, sicuti etiam in praecedentibus semper causa reddita est, ob quam auctor se destitutum putat promissâ felicitate. Graece probabiliter usurpatum fuit *ἐννοεῖν*, quod Aethiops perverse h. l. accepit pro *intelligere*, cum sensus sit *cogitare:* Aethiops igitur debuit vertere ኢንሔሊ::

Vs. 32. ይሬኅቡ: Vitiose pro ይርኅቡ: nam dependet a praecedenti ከመ::

Vs. 33. ኢይሬኅቡ: Lege ይርኅቡ: nam hoc verbum pendet etiam a praecedenti ከመ:: Literam ኢ ejiciendam esse puto, nam contexta oratio docet, illum, qui cor malum vicerit, beatitudinis futurae participem esse futurum: auctor tamen queritur, neminem inveniri, qui istud vincat.

Vs. 34. ፍኖት: In Versione Latinâ recte legitur *vita:* Angelus enim indicat *vitam*, de quâ Moses locutus est, cuius verba mox citantur. — Ib. ለሕይወት: Post hoc vocabulum e Vers. Lat. supple ወኢአምንዎሙ: ሞተኒ: quae fortasse jam desiderabantur in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops.

Vs. 35. ተንጉሎቶሙ: Post hoc vocabulum e Vers. Lat. supple ከመ: ይከውን: ተፋሥሕት::

Vs. 37. ወምስተሣሀል: Lege ወምስተሣሀለ:, est enim objectum verbi ይሰምዩ:, quod occurrit vs. 36. — Ib. ተሣሀሎሙ: Lege ተሣሀሎሙ:: — Ib. ሕግከ: In Vers. Lat. recte legitur *lege eius*. Fortassis in Cod. Gr. pro *αὐτοῦ* legebatur *σοῦ*.

Vs. 38. ወምስተሀገስ: Lege ወምስተሀገሰ:, nam objectum est verbi ይሰምዩ:, quod vs. 36 occurrit.

Vs. 39. ወጸጋዊ: Lege ወጸጋዌ:, ob eandem causam modo memoratam.

Vs. 40. ምሕረት: Lege ምሕረተ:, nam adjectiva co-

piae construuntur cum substantivo in statu constructo: cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 139 ad fin.

Vs. 40. ሀለዉ፡ Contexta oratio militat pro Versione Arabicâ, in qua legitur *humiliant se.* Graece procul dubio fuit *εἰσί ταπεινοί,* sed ultimum vocabulum desideratum fuit in Codicibus, quibus usi sint Latinus et Aethiops.

Vs. 41. ኢየቡዝኅ፡ Vitiose pro ኢየብዝኅ።

Vs. 42. ወእመ፡ Lege ወእሞ።

Vs. 43. ወምኩኝ፡ Non pro ወምኩኝኝ፡, sicuti Laurence conjecit, sed pro ወምኩኝኛ፡, nam etiamnum objectum est verbi ይሰምዩ፡, quod vs. 36 occurrit. Vocabulum autem *δίκαιος* vel in Cod. Gr. depravatum fuit, vel perverse id reddidit Aethiops: sensus enim requirit vocem *justus.* Auctor nimirum h. l. in eo versatur, ut describat virtutes, quae Deo adscribuntur, ad quas pertinet *justitia.*

CAP. VIII.

Vs. 4. ምሬት፡ In Vers. Lat. melius legitur *terram multam magis — parvum autem pulverem;* nam in vs. 6 comparantur *multi creati* cum *multâ terrâ* et *pauci salvandi* cum *parvo pulvere.* Fortasse defectus jam aderat in Cod. Gr. — Ib. ወምሬትን፡ Lege ወምሬትኒ።

Vs. 7. ለትትፈሠሕ፡ Lege ለትትፌሠሕ፡, cf. *Gramm. Aeth.* p. 37 ad. fin. Pro *ἔδοιτο,* sicuti Latinus recte legit, Aethiops in Cod. Gr. invenit perverse *ᾔδοιτο.*

Vs. 8. ለሰቆዩ፡ Vitiose pro ለሰቄዩ።

Vs. 9. ለጉብርከ፡ In Vers. Lat. recte additum est *ut oremus coram te*, verba ከመ፡ ንጸሊ፡ ቅድሜከ፡ fortassis exciderunt per aberrationem oculorum ab affixo ከ vocis ለጉብርከ፡ ad affixum ከ vocis ቅድሜከ፡ nisi hic defectus jam adfuerit in Cod. Gr. — Ib. ወንዘርእ፡ Hoc vocabulum e textu ejiciendum est: loci enim sensus est *cum dederis nobis cor et cogitationem, in quo (corde) serimus et ubi quoque aramus*, sqq. Procul dubio per errorem repetitum est e modo praecedenti ንዘርእ። De nexu huius versûs cum sequentibus vide quae ad h. l. Vers. Lat. diximus.

Vs. 10. ወኵሉ፡ Contexta oratio et Vers. Lat. docent, hoc vocabulum subjectum esse verbi ይኽሀሉ፡ in fine antecedentis versûs obvii, idcirco lege ኵሎሙ።, abjectâ copulâ ወ፡, literae ሙ omissae causa procul dubio fuit sequens litera ም.

Vs. 13. እሙራኒ፡ Lege እሙራኒ፡ cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 141.

Vs. 14. ወሶበሂ፡ — ወተፈጢር፡ In Vers. Lat. recte legitur *quandoque iterum reddit matrix, quae in eâ creverunt:* idcirco duplex Versio eorundem verborum Graecorum h. l. in Vers. Aeth. habetur. Tria autem priora verba retinenda et tria posteriora ejicienda esse mihi videntur, quia illa melius cum Vers. Lat. conveniunt, modo iis addas ዘተፈቀረ። Illud vocabulum addendum esse docent Vers. Lat. et statim sequens vocabulum ወተፈጢር። — Ib. ሐሊበ፡ Lege ሐሊቡ። — Ib. እንተ፡ እቅብቲዋ፡ Haec verba, glossema, ad vocem ሙ ለየለዩ፡ pertinens, redolentia, ejicienda sunt; cff. quae ad Vers. Lat diximus. — Ib. ጉብርከ፡ Lege ጕብርከ።

Vs. 15. ጸዱቅከ፡ Huic vocabulo praeponenda est praepositio በ፡, sicuti Vers. Lat. docet et contextus

suadet. Idem observandum videtur ad vocem ሕገጉ፡ mox sequentem.

Vs. 17. ዘመጠነዘ፡ መጥዕል፡ In Vers. Lat. rectius legitur *tantis laboribus:* Interpres Aethiops in Cod. Gr. pro πόνοις perverse legisse videtur χρόνοις: praecedentia enim docent, auctorem mirari, quare Deus *tantam curam* impendat homini, quem post aliquod tempus interitui praebeat.

Vs. 22. መድኀኒዕነ፡ Lege መድኀኒሀነ። — Ib. ዓለም፡ Contexta oratio et Vers. Lat. docent, post hanc vocem nonnulla desiderari: quocirca, nisi Cod. Gr. depravatus fuerit, e Cod. Aeth. exciderunt sequentia: ወስምዒዕኒ ወ፡ ለጸሊሀ፡ ልቦ፡ ለመኰንን። Scriba facile conjungere potuit verba ዓለም፡ ዘይመጽእ፡, quia saepissime in hoc libro conjuncta occurrunt.

Vs. 23. ወእጸመእኒ፡ Lege ወእጸምእኒ፡, cf. *Gr. Aeth.* p. 19.

Vs. 24. ቀድሜ፡ — ይኘሥእወ፡ Ea verba spuria esse, jam diximus ad Vers. Lat. — Ib. ወይቤ፡ In Vers. Lat. recte legitur *et dixi;* depravatio, in Vers. Aeth. obvia, orta fuisse videtur, postquam praecedentia verba perverse in textum irrepserant. — Ib. ዘትነብር፡ Lege ዘትነብር።

Vs. 26. ነፋስ፡ Lege ነፋስ። — Ib. ነቢበገ፡ Lege ነ ቢበገ።

Vs. 27. ወደደብስ፡ Lege ወደደብስኒ። — Ib. ትእዘ ዘገ. H. l. per errorem scribae repetita est eadem vox, quae modo praecesserat. In Vers. Lat. pro eâ recte legitur *aspectus.*

Vs. 28. ወእየ፡ — ስምዑ፡ In Vers. Lat. melius legitur *Et veritas testificatur;* quocirca textum Aethiopicum sic legendum esse puto: ወሰ፡ ለጽድቀገ፡ ስምዑ።

Vs. 31. አትነጸር፡ Lege አትነጸር።

Vs. 33. ወኢትትመሀው፡ In Vers. Lat. melius legitur *nec cogites*, opponitur enim sequens verbum *memorare;* pro λογίζῃ Aethiops legit ὀργίζῃ.

Vs. 35. ኢኀበዩ፡ Vulgo legitur ኢኅበዩ፡፡

Vs. 37. ወበእንተዒ፡ Hoc vocabulum, consentiente Vers. Lat., ejiciendum est, sicuti patet e sequenti ኵፉፉ፡ quod solummodo ad በእንቲኢፉፉ፡ pertinet.

Vs. 39. ትትሚዕዮ፡ Lege ትትመሀዮ፡፡

Vs. 40. ወሞን፡ Lege ወሞንት፡፡

Vs. 41. እሞዘተወልዩ፡ Lege እሞዘተወልዱ፡፡ Ad finem huius versus nonnulla desunt, quae leguntur in Vers. Lat. et, uti videtur, in Vers. Arab.; haec fortasse jam deërant in Cod. Gr. quo usus sit Aethiops.

Vs. 43. ተኔገርኩ፡ Lege ተናገርኩ፡፡

Vs. 49. በቀዶሜኩ፡ In Vers. Lat. recte additur *loquar*. — Ib. ዮጌ፡ Vulgo legitur ዮጊ፡፡ — Ib. ዘናመ፡ Vulgo legitur ዘናም፡፡ — Ib. ኢረኩቡ፡ Lege ኢረኩበ፡፡

Vs. 50. ሰብእ፡ Lege ሰብአ፡, nam objectum est sequentis verbi ገበርኩ፡፡ — Ib. አስተምሰልኩ፡ Lege አስተሜሰልኩ፡ sicuti legitur vs. 52.

Vs. 51. ወኵሉ፡ Lege ወኵሎ፡, nam objectum est verbi sequentis ገበርኩ፡፡ — Ib. በእንቲሁ፡ Lege በእንቲኢሁ፡; cf. LUD. *Lex. Aeth.* v. በእንተ፡፡

Vs. 53. ሒሱ፡ Lege ሐሱ፡ cf. LUDOLFI *Lex. Aeth.* h. v.

Vs. 55. ዘኅቱ፡ Ante hoc vocabulum excidisse videtur ውስተ፡፡

Vs. 58. ኩሎ፡ ጸዶቅን፡ (sic lege). Haec verba legenda esse videntur post sequentem versum, consentiente Vers. Lat. Huius erroris causa manifesta est; nam versus sequens etiam a ኩሎ፡ incipit; scriba igitur, negligentiae suae conscius factus, post ኩሎ፡ ጸዶቅን፡ scripsit, quae ante haec vocabula legenda erant.

Vs. 60. ሕርቱሚኒ፡ Vitiose sic legitur pro ሕርትምና፡ docente Versione Latinâ et oratione contextâ. — Ib. ይሔም፡ Lege የሔም፡፡

Vs. 61. ቡቡዜኝ፡ Lege ቡቡዙኝ፡፡

Vs. 62. ኦእምር፡ Lege ኣእምር፡፡ — Ib. ግቡርም፡ In Vers. Lat. recte legitur *gloriam:* in praecedentibus (vs. 57. sqq.) enim Angelus dixit, Ezram pertinere ad pios homines, idcirco eum nullas manere poenas, sed gloriam. Idcirco lege ክቡርም፡፡ — Ib. ወተክለ፡ Lege ወተተክለ፡፡ — Ib. ወተሠርሀ፡ sqq. In Vers. Lat. recte legitur *praeparata est abundantia, aedificata est civitas.* Vero igitur simillimum est, Interpretem Aethiopem in Cod. Gr. non invenisse vocabulum, quod Latinus reddidit *civitatem,* illumque ideo putasse, verbum, quod Latinus reddidit *aedificata est,* conjungendum esse cum voce *εὐθυμία,* pro qua Latinus legit *εὐθήνεια.*

Vs. 63. ወቀሚት፡ Lege ወቀሞት፡፡

Vs. 64. ወኙቡእት፡ Lege ወተኙቡእት፡፡

Vs. 65. ወኢትደግም፡ Lege ወኢትደግም፡፡ — Ib. ተኝሥሣ፡ Lege ተኝሥሣ፡፡ — Ib. በእለ፡ Lege ለእለ፡፡ — Ib. ይሔጐሉ፡ Lege ይሔጐሉ፡፡

Vs. 67. ወተኅበይዶም፡ Lege ወተኃበይዶም፡ contextus enim requirit conjugationem octavam. — Ib. ወይቤሉ፡ Lege ወይቤሉ፡፡ — Ib. ለእግዚአብሔር፡ Lege ለእግዚአብሔር፡፡

Vs. 69. ወኢየእኁትዎ፡ Lege ወኢየእኊትዎ፡፡

CAP. IX.

Vs. 1 ሐሳበ: In Vers. Lat. recte additur *tempus*, et pro hoc verbo legendum est ሐሳ̈ብ:, suadente Vers. Lat. et contextu. — Ib. እምትእምረ: Lege እምትእምር:: — Ib. የኀውጽ: Lege ይኄጽ:, propter subintelligendam conjunctionem ከመ::

Vs. 3. ወይትሐበቍቍ: ሕዝብ: Laurencius haec verba sic reddidit: *et pollutus erit populus:* putavit igitur ትሑበቈቈ: idem significare, quod ትሑበቀቀ: a rad. ሑበቀቀ: in cuius derivatis inest notio *immunditiae.* (ipsum autem verbum a Ludolfo in scriptis Aethiopicis non inventum fuisse videtur). Haec tamen significatio non convenit sententiae, nam sermo est de rebellione et conturbationibus populorum. Idcirco puto, verbum ሑበቈቈ: aliâ significatione fuisse usurpatum. In Arabicâ linguâ habetur verbum خبق cuius I[a] et V[a] species significat *cum despectu in alterum oculos convertere, altum esse,* quae significatio etiam originalis fuisse videtur verbi ሐበቈ:, ultimae vero radicalis duplicatio continuationem indicat, cf. HUPFELD *Emendationum Aethiopicarum* p. 27 n° 7. Idcirco ሐበቈቈ: proprie significavit *semper alte se gerere erga alterum, alteri se submittere nolle:* inde facile orta est notio *seditionem movendi*, et ትሑበቈቈ: igitur significabit *ad seditionem motus est;* quae notio etiam inest verbis ሠወከ: et ሠከከ:: Quae cum ita sint, verba ወይትሐበቍቍ: ሕዝብ: reddenda sunt *et tribus ad seditionem movebuntur*. Huic interpretationi consentire videtur Arabs; cff. quae LAURENCIUS ad h. l. anno-

tavit in *collatione Vers. Vulg.* p. 186. In Vers. Lat. ea verba desunt.

Vs. 4. ምሰፋንት: Lege መሳፋንት: nam in hac formâ plurali Aethiopes solent secundam literam cum vocali 4i ordinis scribere; cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p.109 med.

Vs. 5. ይበሌ: Vitiose pro ይቤ: litera ሌ e statim sequenti eâdem litera repetita est. — Ib. ወይኄሬ: Lege ወዘይኄሬ::

Vs. 8. ተአምኒ: Lege ተአምኑ::

Vs. 13. ይአምሬ: Lege ይኤምሬ: propter subintelligendam conjunctionem ከመ:: — Ib. ቆቱ: Lege ቆቲ: docente Vers. Lat. et oratione contextâ.

Vs. 15. እምይኄርያኒ: Hoc vocabulum desideratur in Vers. Lat. et recte omitti potest; fortassis ab aliquo ad marginem notatum est, ad indicandum, illos, qui salvabuntur, esse qui ultimo loco vs. 14 memorati sunt.

Vs. 16. ዘርኡ: In Vers. Lat. additur *et quales flores, tales et tincturae*, quae verba etiam desiderari videntur in Vers. Arab.; num ab ipso auctore profecta sint, difficile est dictu.

Vs. 20. ዘይትወሠአኒ: Lege ዘይትቀሠአኒ::

Vs. 21. ሚእይ: Sine dubio legendum erit ሚእሬር: docente Versione Latinâ. — Ib. ለዘለፋ: Lege ለዜላፋ: cf. LUDOLFI *Lex. Aeth.* sub voce ዘለፋ: — Ib. በሕገ: Lege በሕግ:: — Ib. እሰሬ: Vulgo legitur እስሬ:: — Ib. ቆቲ: ወምገበሬሆሙ: Utrumque vocabulum jure desideratur in Vers. Lat. Vocabulum ቆቲ: procul dubio glossa fuit vocis ሐጉል: quae in sequenti versu legitur, et e margine perverse h. l. insertum est in textum; ወመገበሬሆሙ: autem una cum voce ወዒለምዮኒ:, in sequenti versu obviâ, unum glossema redolet, ad marginem adscriptum, ad explicandam vocem ውእቱ:,

vs. 22 occurrentem, nimirum et mundum et opera hominum exitium esse; haec vero duo vocabula a se invicem separata in textum inserta sunt.

Vs. 23. ወናሁ፡ ይፈሀሪ፡ Haec verba recte desiderantur in Vers. Lat.: sententiae enim conclusio a vs. 24 demum incipit. Fortassis Interpres Aethiops h. l. idem vocabulum reddidit, quod Latinus jam ad finem vs. 19 vertit; postquam autem omissum erat, in margine additum fuit, et dein perverso loco in textum Codicis, quo usus sit Aethiops, insertum; sed pro *καὶ ἐκακοποίησαν,* sicuti Latinus legisse videtur, Aethiops probabiliter invenit *καὶ κακοπαθήσουσι;* vocabulum ናሁ፡ facile ex initio praecedentis versus repeti potuit.

Vs. 24. ወምሕውክ፡ Lege ወምሕኵ፡ docente Versione Latinâ et oratione contextâ. — Ib. ዉእዶናንክ፡ Lege ወእዶናንክ።

Vs. 25. ከንቱ፡ Lege በከንቱ፡ vel ከንቶ።

Vs. 27. ንዶቁ፡ Lege ንዶቅ። — Ib. ወወይንዩ፡ lege ወ ወይናዩ።

Vs. 28. የጸግበኒ፡ Lege ይጸግበኒ፡ subintelligenda enim est conjunctio ከመ፡ ante hoc verbum: nam sensus est *quem edi (ita ut) satiaret me.*

Vs. 29. Ad finem huius versus in Vers. Lat. adduntur haec: *quando erant exeuntes de Aegypto,* quae num revera ad textum pertineant nec ne, mihi non liquet.

Vs. 30. ወእጽምእኒ፡ In Vers. Lat. legitur *et semen Jacob intende:* utra Versio germanum textum referat, incertum est.

Vs. 32. ኢተሐጉል፡ Lege ኢተሐጐል።

Vs. 34. ውስቶቶሙ፡ Lege ወስቴቶሙ።

Vs. 35. ዘርእ፡ Lege ዘርእ።

Vs. 37. ኮነ፡ ጊዜሁ፡ Quae in Vers. Lat. leguntur, praebent sententiam pleniorem et meliorem; vitium vero probabiliter jam latuit in Cod Gr. quo usus sit Aethiops.

Vs. 38. በሀቢይ፡ Lege በሀቢዩ፡ vel በሀባይ፡

Vs. 40. ሞንተ፡ Lege ሞንቶ፡፡ — Ib. ነፋስኪ፡ Praepone praepositionem በ፡ .

Vs. 41. ሕዩገኒ፡ ተቤለኒ፡ Haec verba delenda sunt, nam statim antecesserunt sed inverso ordine; recte desiderantur in Vers. Lat. — Ib. ወሕሞሞት፡ Lege ወሐ ሞሞት፡ vel ወሐሟት፡፡

Vs. 42. እሞትኳት፡ In Vers. Lat. recte legitur *famula tua;* እሞትኳት፡ facile depravari potuit ex እመ ትኳ፡፡ — Ib. በእሲዮ፡ Haec lectio, quae vs. 44 redit, fortasse defendi potest; cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* Can. IX. not. 3; quamvis ante P vocalis 3^{i} ordinis mutanda sit in 6^{um} ordinem. — Ib. ዓመት፡ Lege ዓመት፡፡

C A P. X.

Vs. 5. ገሠጸትዮ፡ Hoc vocabulum significat *me ad paraenesin vocantem*, sed contexta oratio requirit, ut legatur *me ad paraenesin vocatam*, quem sensum Latinus expressit reddendo *ut quiescerem*, i. e *ut submisse me gererem*, *nec Dei agendi rationem reprehenderem*, idcirco lege ጎሠጸትዮ፡፡ — Ib. ተንሠእ ዮ፡ Lege ተንሢእዮ፡ vel ተንሠአትዮ፡፡

Vs. 8. ወእቤለ፡ Lege ወእቤላ፡፡

Vs. 9. ወኢትሬእይፉ፡ Lege ወኢትሬእዮፉ፡፡ — Ib. ወ በሕማሞ፡ ሕመሞኒ፡ Haec vocabula transponenda sunt inter se.

Vs. 10. ተሐዘኒ: Lege ተሐዠኒ:: — Ib. ኝሐኖኖ: Lege ኝሐኖኒ:: — Ib. ሌሐዋኝ: Adjectivum hocce derivandum est a rad. ላሐወ: idcirco scribi debet ሉሐዋኝ:, cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 96 med. et vs. 55 huius Capitis; verum e conjugat. 4ª እሌሐወ: fortasse conjiciendum est, antiquitus exstitisse verbum ሌሐወ:, quod si verum esset, lectio in textu obvia defendi posset.

Vs. 12. ተሰእሌዮ: Lege ተሰእሌዩ::

Vs. 13. እንተ: Lege በእንተ:: Post hoc vocabulum in Vèrs. Lat. apte additur *casum*, quod fortasse jam deërat in Cod. Gr.

Vs. 14. ተሐጕሎ: Vulgo legitur ተሐጐሎ::

Vs. 15. መጠኔዠ: Ludolfus putat, legendum esse መጠኖዠ:, cf. eius *Lex. Aeth.* h. v.

Vs. 16. በእንተ: ቡዙኝኝ: Haec verba, quae in Vers. Lat. recte desiderantur, delenda sunt, quippe quae h. l. nullum sensum habent: scriba vitium, quod commisit, animadvertens, pro more suo vitiosa verba non delevit, sed iis continuo veram lectionem addidit, cui tamen praeponendum est vocabulum እንተ:: — Ib. ተቴጸዠ: Lege ተቴጸዚ:: — Ib. ተብሌፉ: Lege ተብሊፉ::

Vs. 19. ዘወሃበ: Legendum videtur ዘወሀቦ:, ita ut sensus sit *quem dedit ei* nempe *terrae*. Ceterum de hac sententia, quae incipit a voce በእንተ:, vide quae ad Vers. Lat. observavimus.

Vs. 21. ወኅኙኖኔኅ: Hoc vocabulum deest in Vers. Lat. nec apte h. l. legitur; verum idem illud vocabulum desiderari videtur in sequenti versu post verbum እጸዶቀዮ:, cui subjungendum erit ለኅኙኖኔሁ:: Latinus ibi habet *terminum*. Fortasse librarius hoc vocabulum omisit, sed in margine addidit, e quâ tamen perverso

9

loco in textum insertum est, quo mendo semel commisso, necessario mutari debuit in ወኰነኒኪ።

Vs. 24. በእ፡ Lege ባእ።

Vs. 26. ወእቤለ፡ Lege ወእቤላ።

Vs. 28. መቅደስነ፡ Post hoc vocabulum nonnulla leguntur in Vers. Lat., quae in Aethiopicâ desunt. Utrum ad textum pertineant, nec ne, definire non audeam, non enim opus est, ut adsint.

Vs. 29. ወቡርሃነነ፡ Lege ወቡርሃንነ።

Vs. 33. ወተቀትሉ፡ In Vers. Lat. legitur *et coinquinatae sunt*, quod probabiliter praeferendum erit, quia hac in re summum virginum dedecus consistit: Gr. fuisse videtur ἐφθάρησαν, quod Aethiops de *perdendis* Latinus vero bene de *vitiandis* virginibus intellexit.

Vs. 36. ወገብእነ፡ In Vers. Lat. *Sion* dicitur tradita esse in manus hostium, quod fortasse praeferendum est, quia auctor in praecedentibus miseriam populi Israëlitici memoravit et in hoc versu, summam tandem miseriam narraturus, Sionis expugnationem tradit. — Ib. ጸላእትነ፡ Lege ጸላእቲነ።

Vs. 37. ልዑል፡ Hoc vocabulum desideratur in Vers. Lat., nec immerito, nam statim sequitur nomen Dei ኃያል። Error procul dubio explicandus est e creberrimo usu vocis ልዑል፡, quam scriba, exspectans h. l. nomen Dei, haud inspecto Codice, jam scripto mandaverat, antequam ex ipso Codice discebat, scribendam esse vocem ኃያል፡: quam igitur continuo addidit, mendosâ voce non deletâ.

Vs. 38. እትናገር፡ Lege እትናገሮ። — Ib. ርእዩቱ፡ Lege ርእየተ። — Ib. ርእዩቱ፡ Lege ርእየቱ።

Vs. 39. ዱሞሁ፡ Lege ዱሞሆ። — Ib. ያዱለቍልቍ፡ Lege ያደለቍልቍ። — Ib. ቀለ። Lege ቍላ።

Vs. 40. ብእሲት፡ Hoc et duo ultima nomina huius versûs in statu constructo sunt ponenda, quia praedicata sunt verbi praecedentis ኮነት።

Vs. 44. ወእጸነሀኒ፡ Lege ወእጸንሀኒ።

Vs. 45. ምነት፡ Lege ምንት፡, cf. LUDOLFUS in *Lex. Aeth.* voc. ከዊን።

Vs. 48. ከመ፡ ብእሲ፡ In Vers. Lat. legitur *ut vir* continuo post *sta* (ቁም፡), quae lectio mihi videtur praeferenda: supra enim vs. 44 Ezra dixerat, se humi jecisse, tanquam mortuum, jam vero Angelus eum alloquitur atque admonet *ut stet tanquam vir.* Quod si verum sit, legendum erit ከመ፡ ብእሲ፡, et haec verba statim post ቁም፡ erunt ponenda. Mendum fortassis ortum est, postquam haec vocabula, quae a librario omissa erant, ad marginem erant addita. Perverso autem loco in textum inserta sunt, quo factum, ut mutarentur in ከመ፡ ብእሲ፡: scriba enim hanc vocem appositionem esse putavit praecedentis affixi ከ።

Vs. 51. ዘንገሀኒ፡ Lege ዘንግሀኒ፡, cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* Canon V, et *Lex. Aeth.* h. v.

Vs. 52. In fine huius versûs deest vocabulum ነክሬ፡ teste Vers. Lat., in quâ legitur *excessus*, quam vocem in aliis huius libri locis Aethiops expressit per ነክረ፡, cf. IV. 2 (V. L.) II. 2 (V. A.) — V. 33 (V. L.) III. 41 (V. A.) — quamvis X. 28 (V. L.) X. 43 (V. A.) XII. 3 (V. L.) XII. 6 (V. A.) vox *excessus* expressa est per ተንሠሦ። Ut ut sit, deese h. l. vocabulum, quod *rem admirandam* vel simile quid significat, maxime probabile videtur.

Vs. 53. ዘተፈርሀ፡ Lege ዘተፈርሀ። — Ib. እግዚአ ብሔር፡ Lege እግዚአብሔር።

Vs. 54. እስመ፡ Pro hac voce in Vers. Lat. recte legitur *multa* (*mysteria*); quocirca pro እስመ፡ lege ብዙ-

ኗ፡, et hoc una cum sequenti vocabulo praecedenti versui adjunge: sunt enim haec duo vocabula objecta verbi ኀበ ሠተ፡ (sic lege). Error fortassis exstitit e creberrimo usu vocis እስመ፡, quae h. l. mox praecessit et mox iterum sequitur. — Ib. ኅቡእ፡ ውእቱ፡ Haec vocabula, quae recte desiderantur in Vers. Lat., delenda sunt, tanquam nota marginalis, deinceps in textum inserta, ad explicandum Graecum vocabulum ምስጢር፡ *μυστήριον*. — Ib. ብዙኃ፡ Lege ብዙኅ። — Ib. ሕዝብኩ፡ Lege ሕዝብኩ።

Vs. 55. ሉሑወት፡ Lege ሉሕዎት። — Ib. ብእሲት፡ — ሀገር፡ ሕንጸት፡ Haec nomina in statu constructo legenda sunt, quia objecta sunt verbi ኵኔት።

Vs. 56. እስመ፡ Huic voci praefigenda videtur copula ወ፡, consentiente Vers. Lat. — Ad finem huius versûs excidisse videntur verba ዘንቱ፡ ነገረ፡ vel similia quaedam, uti patet e Vers. Lat. et contextu.

Vs. 57. ሀገር፡ ሕንጸት፡ Haec nomina in statu constructo legenda sunt, tanquam appositio affixi ሃ፡, quod latet in verbo ትሬእዩ።

Vs. 58. ምኅብን፡ Lege ምኀብን፡, est enim objectum sequentis verbi ኮንኩ። — Ib. ዮ፡ In Vers. Lat. habetur *triginta*, cf. tamen quae ad eam monuimus. — Ib. ዓመት፡ Lege ዓመተ።

Vs. 59. ዮ፡ Cf. quae ad Vers. Lat. X. 45 monuimus.

Vs. 62. ዶቀት፡ Lege ዶቀቲ።

Vs. 63. ተለሐውሙ፡ Literam ሙ esse ejiciendam, quisque e contextâ oratione sponte suâ animadvertit. — Ib. ሕማም፡ Lege ሕማማ፡ In Vers. Lat. nonnulla adduntur, quae fortassis ab ipso auctore profecta sunt.

Vs. 64. ወእርእየኩ፡ Lege ወእርእየኩ።

Vs. 65. ቤተ፡ Lege ቤቱ።

Vs. 66. ሀሎ፡ Legendum est ዘሀሎ፡, pronomen enim

relativum h. l. desiderari nequit, quippe objectum est verbi sequentis ይርአዩ::

Vs. 67. ዘንአብለከ: Lege ዘንቱ: አብለከ:: — Ib. ተመጽአ: Docente Vers. Lat., legendum est ተምጽአ: subintellectâ conjunctione ከመ: — Ib. ንዱቀ: Lege ንዱቅ:: Vitium, ut probabile est, exstitit, quia librarius oculis aberravit a voce, quae nostro loco legenda est, ad eam, quae continuo mox sequebatur, quo factum, ut omissa sint sequentia: እስመ: ኢይክል: ተገበረ: ንዱቅ:: Haec sequenti versui praeponenda esse, docent contexta oratio et verbum የሀሉ: (non ይሀሉ) in conjunctivo positum, confirmante Vers. Lat.

Vs. 68. መካኔ: Lege መካን:: — Ib. ልሁል: Post hoc vocabulum inserendum est ሀገር:, teste Vers. Lat. et contextâ oratione, nam desideratur objectum verbi ይርኢ:: Procul dubio in margine scripta fuit ea vox, postquam omissa erat, sed deinceps perverse in textum inserta est vs. 65, quo factum, ut ibi mutata sit in ሀገር::

Vs. 69. ወኢይደንግጽከ: Requiritur h. l. 4ª conjugatio, quod patet ex affixo ከ:: — Ib. ብርሃና — ንዱቃ: Utrique huic vocabulo additum est affixum ሃ:, quod in Vers. Lat. desideratur, nec facile tolerari potest, in primis in ultimâ voce: ipsa enim mulier facta erat *aedificium*, idcirco de *eius* aedificio, tanquam de re, ab ipsâ muliere diversâ, sermo esse nequit. Tandem ad finem huius versûs nonnulla adduntur in Vers. Lat., quae, uti probabile est, exciderunt e Vers. Aeth., nisi jam in Cod. Gr. defuerint. Defectûs origo manifesta est: sequens enim versus ab eâdem voce incipit, a quâ incipere debent verba omissa. Inserenda igitur sunt haecce:

ወእምጣኔ: ትክል: ርእየ: ርኢ: በአዕይንቲከ::

Vs. 70. ተኅበለ: Lege ተጸበለ::

Vs. 73. ኂሠሤሞ: Vulgo legitur ኂሰሞ:: — Ib. ርኢየ: Lege ርእየ:, cf. LUDOLFI *Gr. Aeth.* Can. IX. Forma tamen infinitivi tolerari nequit, nam contexta oratio, consentiente Vers. Lat., postulat nomen substantivum ርእይ: *adspectus.* — Ib. በበ: ዕዮሚሆሙ: In Vers. Lat. recte legitur *a novissimis diebus*, nisi pro *a* legendum sit *in*, quam lectionem confirmant capita sequentia, in quibus Ezrae aperiuntur quae in novissimis diebus locum habebunt. Vitium jam latuisse videtur in Cod. Gr., in quo pro *ἐν ταῖς καιναῖς ἡμέραις* Aethiops perverse legit *ἐν ταῖς ἑκαστοῦ ἡμέραις.*

Vs. 74. በሰኔቶኔ: Teste Versione Latinâ et contextâ oratione, huic voci praefigenda est copula ወ:, cff. porro, quae ad IV. 44 diximus.

C A P. XI.

Vs. 1. ሰኔተ: Lege ሰኔቶ:, cf. quae ad IV. 44 monuimus.

Vs. 3. ኦርኢስተ: In Vers. Lat. legitur *pennae contrariae:* hoc discrimen in utrâque Versione semper observatur, excepto XII. 3, ubi Vers. Aeth. cum Latinâ conspirat, e quo loco verosimile est, lectionem, in Vers. Aeth. obviam, librario attribuendam esse, qui tamen hunc locum mutare oblitus est, cff. quae in Capite III. hac de re monebimus.

Vs. 7. ኸሰፈሁ: Contexta oratio, consentiente Vers. Lat., requirit, ut legatur በኸሰፈሁ:: — Ib. ይኈኙኝ: Lege ይኈኖኝ:, cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 46. —

Ib. ኅበመ: ይገርር: In Vers. Lat. legitur *et vidi, quoniam* sqq.: idcirco Graece fuisse videtur *καὶ εἶδον, ὡς κ. τ. λ.* Illud *καὶ εἶδον* vero defuit in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops, quo factum, ut *ὡς* acceperit notione *ut*, Versio Latina praeferenda videtur, nam e sequentibus *et nemo illi contradicebat* patet, Ezram jam *omnia subjecta* vidisse aquilae, sicuti habetur in Vers. Lat.; contra e Vers. Aeth. discimus, aquilam surrexisse tantum *ut subjiceret sibi omnia*; idcirco haec nondum ei erant subjecta; at vel sic tamen in Vers. Aeth. etiam additur *et nemo illi contradicebat*, quod tamen e praecedentibus nondum sequitur.

Vs. 8. ወእምዝ: Dele copulam ወ:, postulante contextâ oratione et Vers. Lat. Hicce versus arctissime conjunctus est cum praecedenti et male ab eo separatus, e quo mendo videtur explicanda esse òrigo copulae ወ:, a qua sexcenti versus incipiunt.

Vs. 10. ወርእስ: In Vers. Lat. melius legitur *capita autem*, nam e sequentibus patet, tria illa capita ad novissima tempora servata esse. — Ib. ደኃሪት: Lege ደኃሪተ:, status enim constructus adhibendus est in definiendo tempore.

Vs. 11. ኅለቡ: Lege ቀሉ:, docente contextâ oratione et Vers. Lat. Vitium facile committi potuit ob soni similitudinem.

Vs. 13. ኅንሬ: Lege ኅንፋ:: — Ib. ምድር: Huic vocabulo praeponenda est litera ለ, propter antecedens suffixum ሃ:: — Ib. ኢየስተሬኢ: Lege ኢየስተርኢ:, cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 76.

Vs. 14. ወእጸነሀ: Lege ወእጸንሀ:, cf. LUDOLFI l. l. Can. V.

Vs. 17. ዘእምዘነወኅ: Lege ዘእዘንወኅ::

Vs. 19. ወአጽኔዒ፡ Lege ወአጽንዒ፡, cf. LUD. l. l. Can. V. — Ib. ወኀቡናኒ፡ Lege ወኀቡኒና፡፡

Vs. 22. የማኒ፡ Sic etiam perverse legitur in Vers. Lat. pro ፀጋም፡; patet igitur, mendum jam affuisse in Codd. Gr. In Versione Latinâ huic versui adduntur sequentia: *et ex his erant*, *quae tenebant*, quae si e Cod. Aeth. exciderint, inserenda sunt ወቦ፡ እምውስቴቶሙ፡ እለ፡ ኀቡኒኒ፡፡ Haecce omissio facile explicari potest e similitudine ultimae vocis ኀቡኒኒ፡ cum ultimo nostri versûs vocabulo. Illa vero verba ad ipsum textum pertinere videntur, quia sic rite distinguuntur pennae, quae, postquam surrexerant ut regnarent, brevi tamen imperio gavisae sunt, ab illis, quae etiam surrexerant, sed non regnarunt.

Vs. 24. ኢኀቡንኒ፡ Lege ኢኀቡኒኒ፡፡

Vs. 25. ዘኀቡቱ፡ Lege ዘኀቧቱ፡፡ — Ib. ወኀበልአተኒ፡ Vitiose pro ወኅበልኤቶኒ፡፡ — Ib. ዮርምሙ፡ Lege ዮሬምሙ፡፡

Vs. 26. አርእስቱ፡ Lege አርእስቲ፡ vel አርእስቲሁ፡፡

Vs. 29. ተሞኀበረ፡ Lege ተማኀበረ፡, requiritur enim h. l. conjugatio 8[a], quia mutua actio indicatur, sicuti recte legitur vs. 32, 33.

Vs. 33. *B*፡ Lege *Γ*፡, cf. vs. 1 huius Capitis, et vs. 34. — Ib. ማእኀለዊ፡ Teste Versione Latinâ, et consentiente oratione contextâ, post hoc vocabulum inserendum est ይነቅሁ፡፡

Vs. 35. ተሞኀበረ፡ Lege ተማኀበረ፡, cff. dicta ad vs. 29.

Vs. 37. ዓለም፡ Lege ዓለሙ፡፡ — Ib. ኀነፋ፡ Lege ኅነፋ፡፡

Vs. 38. ኅንፋ፡ Lege ኅነፋ፡፡

Vs. 40. ቀደማኀ፡ Ante hoc vocabulum inserendum est vocabulum ርኢ፡ teste Vers. Lat. et postu-

lante oratione contextâ. — Ib. ዘቶሬእ: Lege ዘቶ ሬኢ::

Vs. 42. ወእንግርከ: Lege ወእነግሬከ::

Vs. 43. ኋልቀ: Lege ኋሉቀት::

Vs. 44. ወትእገልዎሙእ: Dele literam ሙ, nam sequens vocabulum est singularis numeri. — Ib. ላእሉእ: Hoc vocabulum elimina; procul dubio varians fuit lectio pro praecedente voce ለእልኽቱእ: e margine perverse in textum inserta. — Ib. ነቢርእ: Hoc vocabulum una cum sequenti copulâ ወ: e textu delendum videtur, consentiente Vers. Lat. Postquam ex antecedenti ወነቢርእ: h. l. repetitum erat, necessario sequenti vocabulo praefigenda erat copula ወ:: — Ib. ወኢ ኩናንእ: De copula ወ: modo diximus; pro ipso autem verbo lege ኢኩናንእ:: Animadvertendum est, in Vers. Lat. hoc et sequentia verba, in vs. *45 et 46 obvia, non* in 3ª sed 2ª personâ occurrere; hoc praeferendum videtur, nam vs. 47 etiam 2ª persona usurpatur in Vers. Aeth.

Vs. 49. ለሱብእ: ዚእሁ: Aethiops in Codice Graeco male legisse videtur *ἄνθρωπον ἑαυτοῦ* pro *ἀνώτερους χρόνους*; cf. quae ad h. l. Vers. Lat. diximus.

Vs. 52. ወክነፈክኒእ: Lege ወኽነፈክኒእ::

Vs. 54. ወዑፈርክኒ: Lege ወዑፈፈክኒ:, cf. vs. 9 huius Cap.

Vs. 55. ወትስሐት: Lege ወትሰሐት:: — Ib. እንፈሰ እ: Lege እንፈሳእ::

Vs. 56. ወትሴፈ: Lege ወትሰፈ:, pendet enim a conjunctione ከመ:, in initio praecedentis versûs obviâ.

C A P. XII.

Vs. 1. መሐሪ: Rectissime in Vers. Lat. legitur *leo*; Interpres Aethiops in Cod. Gr. pro *ὁ λέων* perverse legit *ὁ ἐλεῶν*. — Ib. ውእቱ: Sine dubio huic vel sequenti vocabulo praefigenda est praepositio ለ:: nam subjectum verbi ነበበ: est መሐሪ::

Vs. 3. ኅንፋ: Lege ኅንፉ:: — Ib. ፀፈሪሆሙ: In Vers. Lat. recte legitur *regnum eorum*; olim ita etiam lectum fuisse in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops, fortasse patet e singulari ይትሀወኽ::

Vs. 4. ሥጋሆሙ: In Vers. Lat. recte legitur *corpus aquilae*, pro *τό τοῦ ἀετοῦ σῶμα* Aethiops in Cod. Gr. perverse legisse videtur *τό αὐτῶν σῶμα.*

Vs. 7. ወእቢለ: Lege ወእቢላ:: — Ib. ሬሲይኽኒ: Lege ሬሷይኽኒ::

Vs. 11. ጸንዓኒ: Lege ይጸንሀኒ:: — Ib. ለዝሉፉ: Sic reddidit Aethiops Gr. *εἰς τό τέλος*, sed reddere debuerat ለኅልቀት:, nam sensus est *ad finem usque*, i. e. *ita ut omnia ad extrema usque audire possim.* Perversam illam interpretationem animadvertit etiam LUDOLFUS, vide eius *Lex. Aeth.* h. v. p. 472.

Vs. 12. ኡብየዕኩ: Lege ኡብየዕኮ::

Vs. 13. ፋኵሬሁ: Hoc vocabulum, postulante sensu, post sequentem vocem transponendum est. — Ib. ትትሬሣሕ: Propter praecedentem conjunctionem ከመ: lege ትትረሣሕ::

Vs. 14. ወበእንተኒ: — ዓለም: Haec verba desiderantur in Vers. Lat., nec opus est, ut adsint. Procul dubio ad marginem Codicis adscripta fuerunt, ut lector admoneretur, in sequentibus agi *de fine dierum*

mundi; copula ወ፡ praefigi debuit, postquam haec verba in textum erant recepta. Non cogitandum est, in Ms. Sangerm. eandem lectionem haberi, quae in Vers. Aeth. occurrit, nam *temporum finem* ibi videtur varians esse lectio pro *temporum novissima.*

Vs. 15. ለዘኅለቱ፡ Lege ለዜኅለቱ::

Vs. 16. ኧኔ፡ Lege እኔ:: — Ib. ይእቱ፡ ዜ፡ Laurence legendum conjecit ይእቱ፡ ይእዜ፡ quae emendatio, si vera esset, pro ይእቱ፡, tanquam objecto sequentis verbi, legendum esset ይእተ:: Sed lege ይእዜ፡, vocabulo ይእቱ፡ deleto. Scriba literam ዜ procul dubio addidit, ut moneret, praecedentem literam ቱ esse delendam et pro eâ substituendam ዜ. Emendatio Laurencii usui linguae repugnare videtur, nam nullum novi exemplum, in quo ይእቱ፡ ይእዜ፡ tali sensu, qualem Laurence vult, juxta se invicem ponuntur; si auctor pronomen demonstrativum adhibere voluisset, quod tamen in Vers. Lat. desideratur, potius addidisset verbo affixum ያ::

Vs. 17. ምጽር፡ Lege ምድር::

Vs. 18. ቦቱ፡ In Vers. Lat. recte additur *unus post unum*, quae verba fortasse jam deërant in Cod. Gr. quo usus sit Aethiops. — Ib. ደገመ፡ Lege ደገሞ::

Vs. 19. ፋኅገሬሁ፡ Dele affixum ሁ፡, quod, si retinendum sit, mutandum est in ሆኔ፡, primae voci versûs sequentis, qui a nostro male separatus est, praepositâ literâ ለ:: Haecce utriusque versûs separatio procul dubio originem dedit affixo ሁ::

Vs. 20. ኅሰኔሬሁ፡ Lege ኅሰኔሬሁ:: — Ib. ዘርእሱ፡ quod altero loco in h. v. legitur, vitiosum est, nam sensus requirit, ut legatur ዘሰማዕኩ፡, confirmante Vers. Lat.

Vs. 21. ቡዙኅ: Lege ቡዙኃ::

Vs. 22. ምድር: Hoc vocabulum, quod deest in Vers. Lat., e textu eliminandum est. Procul dubio scriba, in cuius mente infixa haerebant verba ውስተ: ምድር:, quae centies in hoc libro redeunt, haud inspecto Codice, vocabulum ምድር: post ውስተ: scripsit, sed mox, erroris sui conscius factus, germanam vocem addidit, cui tamen, teste Versione Lat. et favente verborum sensu, addendum est affixum ሃ:, ita ut legatur ምኽኒና::

Vs. 24. ኳኔሬሆሙ: ወ. Egregie conjecit Cl. Weijersius, haec vocabula e textu esse ejicienda et primum constituisse notam marginalem, vocabulo ኣርእስት (sic lege, vs. 23) e C. XI. 3, 4 adscriptam, ne quis putaret, h. l. intelligenda esse tria illa capita majora. Originalis igitur lectio fuit ወኳኔሬሆሙ:, sed postquam hoc vocabulum perverso loco in textum insertum erat, copula ወ: ab hac voce distracta et sequenti voci praefixa est.

Vs. 25. ይትሐጉሉ: Lege ይትሐጐሉ::

Vs. 26. ወሬቡዐት: — ትትሀቀቡ: In Vers. Lat. recte legitur *quatuor autem servabuntur* (cff. quae ad h. l. monuimus), quam lectionem confirmat oratio contexta et affixum ሆሙ: quod mox sequitur. Fortasse vitium jam affuit in Cod. Gr. quo usus sit Aethiops.

Vs. 27. ይትዓቀቡ: Lege ይትሀቀቡ::

Vs. 30. እምቅድሚሆሙ: Lege እምቅድሜሆሙ::

Vs. 31. ንስር: Lege ንሥር::

Vs. 32. In Vers. Lat. hunc versum antecedunt sequentia: *Isti enim erunt*, *qui recapitulabunt impietates eius*, de quorum tamen authentiâ mihi non constat. — Ib. መሖለቀቱ: Lege መሖለቀቷ:, nam sequens nomen est foeminini generis.

Vs. 34. Ad finem huius versûs nonnulla leguntur in Vers. Lat., quae in utrâque Vers. Orient. desiderantur. Sensus huius additamenti non obstat, quominus ab ipso auctore addi potuerit; utrum vero Interpres uterque Orientalis vitioso Cod. Gr. usus fuerit, an vero in ipsis Codd. Orient. mendum sit quaerendum, non patet.

Vs. 35. ቀዳሚ: ምኅልቀት: Pro alterâ voce lege ሚኅልቀት:: In Vers. Lat. recte legitur *regnum exile:* Aethiopicae enim Versioni obstat, hisce verbis idem repeti, quod modo jam enunciatum est. Nisi vitium ortum sit ab aliquo, qui vocem *ἀρχή* perverse acceperit notione *initii* pro *regno* et secundum hancce opinionem textum mutaverit, verba Aethiopica mutanda sunt in ቀጢን: መንግሥት:, deletâ antecedenti voce በም:: — Ib. ውብዙኅ: Lege ውብዙኃ::

Vs. 36. ወይትነገር: Lege ወይትኔገር:: — Ib. ወይዘለፊ: Lege ወይዘሏ̈ፊ: vel ወይዟ̈ለፊ:; haec lectio confirmari videtur vs. 39. — Ib. ዝኵ: Hoc vocabulum, docentibus Versione Lat. et oratione contextâ, sequenti versui praeponendum est.

Vs. 38. ወይዘለፊም: Cff. dicta ad vs. 36. — Ib. ፈቃዶም: Aethiops in Cod. Gr. pro *ποίηματα* perverse legit *βούληματα.* Pro illâ lectione pugnat XIII. 41 et verborum sensus: nam, ad aliquem condemnandum, magis valet ei exprobrare *facinora*, quam *voluntatem male faciendi*. De differentiâ Vers. Lat. inter et Aeth. cff. quae ad illam monuimus.

Vs. 39. ተዘለፊም: Lege ተዟለፊም::

Vs. 40. ለምሕረት: Pro praepositione ለ: lege በ:, docente Versione Lat. et postulante oratione contextâ. — Ib. ደደንየ: In Vers. Lat. legitur *super fines meos*, quae lectio praeferenda videtur: nam ultimum judicium postea

demum sequi debet, sicuti patet e vs. sequenti 41. Pro ዲዴንየ፡ ergo levi mutatione lege ዲዴምየ።

Vs. 42. ቷኧምር፡ Lege ቷእምር።

Vs. 43. ለጠቢባኝ፡ Lege ለጠቢባን።

Vs. 44. ሑር፡ Lege ሑረ።

Vs. 45. ኗሉፉ፡ Lege ኗለፉ። — Ib. እሉንቱ፡ Vulgo legitur እሎንቱ። — Ib. ሰቡሀ፡ መዋሀለ፡ Lege ሰቡሆ፡ መዋሀሌ።

Vs. 46. ወምንተ፡ Lege ወምንተ፡, nam hoc vocabulum objectum est sequentis verbi.

Vs. 47. እምኔ፡ ኵሉ፡ ዘይቀሠም፡ Pro hisce vocibus a Laurencio male versis, sed vertendis *ex omni, qui decerpit*, in Lat. Vers. recte legitur *de vineâ.* Procul dubio in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops, pro *ἀπὸ πάντος τοῦ ἀμπελῶνος* perverse lectum fuit *ἀπὸ πάντος τοῦ ἀπολέγοντος*; sed in Cod. Gr., quo usus sit Latinus, vocabulum *πάντος* defuit, nec opus est ut adsit.

Vs. 49. ምርኽ፡ Haec forma in LUDOLFI *Lexico* non memorata est, sed pro eâ habetur ምርኸ፡, quae forma recte sese habere videtur, nam derivatur a radice tertiâ literâ ወ praeditâ. — Ib. ዘቀመር፡ Lege ለቀመር፡, docente Vers. Arab. et postulante oratione contextâ. — Ib. ሌጕቱ፡ Vulgo legitur ሌጎቱ።

Vs. 53. ተእምኔ፡ In Vers. Lat. additur *Israël*, nec male. — Ib. ዘኽብርኔ፡ Pro affixo ኔ፡ in Vers. Lat. habetur *vestri*, quâcum consentire videtur Arabs, consentiente etiam contextu: nam Ezra h. l. alloquitur populum suum.

Vs. 54. ዘእሬኩሀኔ፡ De affixo ኔ idem animadvertendum est, quod modo ad vs. 53 diximus.

Vs. 55. ቶፈሠሕቱኔ፡ In Vers. Lat. habetur *sanctificationis vestrae*, quod praeferendum est, cf. tamen

quod ad eam monuimus. In praecedentibus enim Ezra non de recuperando gaudio sed de humiliatis sacris Deum quaesiverat. Pro *ἁγιοσύνης* ergo Aethiops perverse legit *γηθοσύνης*.

Vs. 56. ሎሌየ፡ Vulgo legitur ለሊየ፡፡

Vs. 58. ወኧንስ፡ Lege ወእንስ፡፡

CAP. XIII.

Vs. 2. ይሚናት፡ Lege ይመናት፡፡

Vs. 4. ይትመቀእ፡ In Vers. Lat. melius legitur *ardescebant*. Auctor enim vult, homines, ad quos exibat vox illius viri, liquescere, sicuti liquescit cera coram igne; praestat igitur legere ይትመሰዉ፡፡ Tria sequentia vocabula desunt in Vers. Lat., et recte quidem: subjectum enim ኵሎሙ፡, in initio sequentis versûs, caret verbo suo ይትመሰዉ፡, propter interposita illa vocabula. Inaccuratus scriba, haud inspecto Codice, haec addidisse videtur, putans, ea procul dubio secutura esse, sed, mox erroris conscius factus, veram lectionem addidit, vitiosâ, ut vulgo, non deletâ.

Vs. 5. ሞዒሬ፡ Lege ሞዒሪ፡፡

Vs. 6. ቡዙኝ፡ Lege ቡዙኻ፡፡ — Ib. ፈፊስ፡ Lege ፈፊሶ፡፡

Vs. 9. ይወጽእዎ፡ Procul dubio legendum est ይወጽዕዎ፡, consentiente oratione contextâ et Vers. Lat.

Vs. 10. ላዕሌሁ፡ Lege ላዕሊሁ፡, et mox sequens vocabulum ላዕሊሁ፡ ejice, quod procul dubio in margine appositum fuit, ad emendandam vitiose scriptam

vocem ላዕሌሆሙ፡, sed perverse in textum h. l. est receptum.

Vs. 11. ወጽአ፡ Lege ወጽኡ፡, nam subjectum huius verbi est nomen plurale.

Vs. 12. ኵናፊሪሆሙ፡ Vulgo legitur ኵናፋሪሆሙ፡፡

Vs. 14. መቀግያቲ፡ Haec forma desideratur in LUDOLFI *Lexico*. Si vero sana sit et considerari debeat tanquam forma pluralis a formâ collectivâ መቀግያ፡, legi debet መቀግያተ፡፡

Vs. 17. ንቀሁኩ፡ E contextâ oratione patet, unice probandam esse lectionem *extimui*, quae in Vers. Lat. occurrit. Pro *ἐξεφοβήθην* Aethiops in Cod. Gr. perverse legisse videtur *ἐξεκοιμήθην*. — Ib. ብእሴ፡ Lege ብእሲ፡፡ — Ib. እምእ፡ Probabiliter legendum est እ ምን፡፡ — Ib. ባዕያን፡ Lege ባዕያኒ፡፡ — Ib. ሠንእሆሙ፡ Lege ሡንእሆሙ፡ eamque vocem accipe sensu adverbiali *concorditer illi*.

Vs. 19. In Vers. Lat. nonnulla sunt addita, quae in Vers. Aeth. desiderantur; fortasse jam defuerunt in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops.

Vs. 22. ኢይትኄኄዘቡ፡ Contextâ oratio atque Vers. Lat. docent, legendum esse እትኄዘቡ፡፡ — Ib. ሀለዉ፡, quod ad finem versûs legitur, mutandum est in ኢሀ ለዉ፡, nam e contextu et Vers. Lat. patet, intelligendos esse eos, qui ultimis temporibus non vivent, quippe jam mortui.

Vs. 23. ይኔዜፉ፡ Lege የኔዜፉ፡፡

Vs. 26. ወይበጽሕዎ፡ Lege ወይቡጽሕዎ፡, ob subintelligendam conjunctionem ኵመ፡: cff. porro, quae ad h. l. Vers. Lat. diximus.

Vs. 29. ወሄልዉ፡ Lege ወይሄልዉ፡፡

Vs. 30. እለ፡ ይሬእዩዎ፡ In Ms. Sangerm. recte legi-

tur *qui afferet;* cff. quae de sensu verborum monuimus p. 68. Pro ὃς οἴσεται, Aethiops in Cod. Gr. perverse legisse videtur οἳ εἴσονται.

Vs. 31. ወሃይማኖት፡ Lege ወሃይማኖት። — Ib. በኍበ፡ Lege በኀበ። — Ib. ወጸንዑ፡ Lege ወጸኑዑ።

Vs. 35. ዘኢየንሣእ፡ Procul dubio legendum est ዘኢ-ይንሣእ፡, nam conjugatio 4ª vulgo usurpatur in tali sensu, qualis h. l. habetur. — Ib. ክዪናት፡ Lege ኅቡናት። — Ib. ወቆተሎሙ፡ Lege ወቀተሎሙ።

Vs. 36. ወውእቱ፡ Vers. Lat. docet, h. l. aliquid deesse; cui versioni favet pronomen ውእቱ፡ quod construi nequit cum verbo, in plurali posito. Quae igitur desunt, omnino supplenda sunt e Vers. Lat.

Vs. 37. ይስተሬኢ፡ Lege ይስተርኢ፡, cf. LUDOLFI *Gramm. Aeth.* p. 76. — Ib. ብእሴ፡ Lege ብእሲ።

Vs. 38. ወአፀባቲሆሙ፡ Lege አፀባእቲሆሙ፡, copula autem ወ፡ praeponenda videtur verbo antecedenti የኀዩ፡, docente Vers. Lat.

Vs. 40. ወቱስተሬኢ፡ Lege ወቱስተርኢ፡, cf. LUDOLFI l. l. — Ib. ዩሉውት፡ Haec forma secundum Grammatices leges consistere nequit, nam ው ante se respuit vocalem 2ⁱ ordinis, vide Canonem IX. in LUDOLFI *Gr. Aeth.* p. 21: idcirco lege ዩሉት፡, vide LUDOLFI *Lex. Aeth.* h. v. — Ib. ለኵሎ፡ Lege ለኵሉ።

Vs. 41. ዘይዘለፌሙ፡ Lege ዘይዟለፌሙ። — Ib. ወይፄጕኍ፡ C. XII. 38 legitur ወይወጕኍ፡, quod probandum videtur. — Ib. እኩይ፡ Lege እኩዩ። — Ib. ወይዴይኖሙ፡ Pro hoc et duobus sequentibus vocabulis in Vers. Lat. recte legitur *et cruciamenta, quibus incipient cruciari.* Verba Aethiopica sic reddenda sunt: *et judicabit eos cum magno, quo judicabuntur:* manifestum igitur est, desiderari nomen substantivum *judicium.* Idcirco le-

gendum videtur ወደይኖሙ፡ ሀቢይ፡ በዝ፡ ይዴዮኑ፡ *et (cumulabit coram iis) judicium magnum, quo judicabuntur*, quorum verborum sensus convenit cum eo, qui in Vers. Lat. habetur.

Vs. 42. ሠንእሁ፡ Cff. quae ad vs. 17 diximus.

Vs. 43. ወኀበሌእ፡ ኮኔ፡ Probanda est Vers. Lat., in quâ haec vocabula cum ultimo verbo praecedentis versûs conjuncta sunt, et pro iis legitur *in terram aliam*. Graece, ut probabile est, fuit *καὶ μετατεθείνται ἐν γῇ ἄλλῃ*, pro quibus Aethiops male legisse videtur *καὶ μετατεθείνται καὶ γέ ἄλλῃ*. Haec depravatio facile oriri potuit: voculae enim *ἐν* et *καὶ*, literis majusculis scriptae, antiquâ scripturâ parum differebant, atque inter *γῇ* et *γέ* nullum erat discrimen. Hoc mendo semel in textum recepto, addi debuit *εἰσί*. — Ib. ንገድ፡ ሕዝቦሙ፡ In Vers. Lat. recte legitur *multitudinem gentium*: nam de relinquendâ stirpe populi sui h. l. sermo esse nequit, quia Israelitae in peregrinâ terrâ jam versabantur, vide vs. praeced. Idcirco puto, Interpretem Aethiopem pro *πλῆθος* in Cod. Gr. invenisse *γένος*; *αὐτῶν* autem facile addi potuit ab aliquo, qui e voce *γένος* conjecerit, h. l. sermonem esse de stirpe gentis Israeliticae. — Ib. ወየሕውሬ፡ Lege ወየሖሬ። vide tamen Canonem VII. in LUDOLFI *Gr. Aeth.*

Vs. 44. ሙጹቡቡ፡ Lege ሙጹቡብ።

Vs. 49. ይኅሀሉ፡ Lege ይኃሀሉ።

Vs. 50. ሙብዝኃቶሙ፡ Nisi hoc vocabulum significet *multitudinem*, quae tamen notio in LUD. *Lex.* desideratur, putandum est, Aethiopem pro voce *πλῆθος*, sicuti Latinus recte legit, in Cod. Gr. invenisse *πλεῖστους*. — Ib. ንሡኣዎሙ፡ Docente Vers. Lat. et favente oratione contextâ lege ሡንኣዎሙ። Post hoc vocabu-

lum nonnulla leguntur in Vers. Lat., quae desunt in Vers. Aeth. Fortasse jam deërant in Cod. Gr., quo usus sit Aethiops; haec lacuna procul dubio ansam dedit copulae ወ፡ sequenti vocabulo praefixae, quae jure desideratur in Vers. Lat.

Vs. 51. ይፀንዑዎሙ፡ Hoc vocabulum proprie significat *fortiores erunt illis.* Sed aptius legitur in Vers. Lat. *proteget eos*, idcirco legendum videtur ያፀንዖሙ።

Vs. 52. ይርእዮሙ፡ Huius verbi subjectum est *Altissimus*, idcirco lege ይርአዮሙ።

Vs. 54. ባሕር፡ Post hanc vocem exciderunt አእምሮቶ፡ ከመዘ፡ ኢይክል፡; causa huius omissionis manifesta est: nam scriba oculis aberravit ab አእምሮቶ፡, quod primo loco legebatur, ad idem vocabulum, quod mox sequebatur. Pro nostrâ sententiâ militant Versio Latina et oratio contexta. Pro altero autem አእምሮቶ፡ in Vers. Lat. legitur *videre*, quod praeferendum videtur; hic enim verborum sensus est: uti nemo scire potest, quid in profundo maris sit, quia in id visus non penetrat, sic nemo videre potest filium Dei, nisi ultimi judicii die, quando in terram venturus sit ad homines judicandos.

Vs. 59. ረሲየከ፡ Lege ረሲየኩ።

Vs. 62. ሕዩቅ፡ In Vers. Lat. recte legitur *tres*, vide vs. 64 h. Cap. et XIV. 1. — Ib. ባዑዩ፡ Lege ባዑዶ፡, hoc enim vocabulum subjectum est praecedentis verbi ቦ።

Vs. 64. ወእእኩሉቶ፡ Lege ወእእኩሎቶ።

CAP. XIV.

Vs. 3. **ኧስተርኢዩክዎ:** Lege **አስተርኢዩክዎ::** — Ib. **ወተናግርክዎ:** Lege **ወተናገርክዎ::** — Ib. **ወወሰድክዎ ሙ:** — **ወአንበርክዎሙ:** — **ወነገርክዎሙ:** In Vers. Lat. pro aff. plur. masc., quo significantur *Israëlitae*, recte legitur *eum* (*Mosem*). In Cod. Gr. procul dubio scriptum fuit *τοῦτον*, quod ab Aethiope perverse relatum est ad populum (*τὸν λαόν*), recte vero a Latino ad Mosem.

Vs. 4. **ወአዴዶሀክዎሙ:** De affixo plurali vide quae modo diximus. — Ib. **ድኍሬ:** Lege **ድኅረ::**

Vs. 6. **ተአምር:** Lege **ተአምረ:** est enim objectum verbi sequentis **ሁቀብ::** — Ib. **ሁቀብ:** Lege **ሁቀብ::**

Vs. 10. **ወአስተፈስሕ:** Lege **ወአስተፈስሖሙ::** Ante hoc vocabulum in Vers. Lat. legitur *et corripe populum tuum*, quae verba fortassis e Vers. Aeth. exciderunt.

Vs. 14. **ወኧስተፋቁኝ:** Lege **ወአስተፋቁኝ::**

Vs. 16. **ኧኪዶቶሙ:** Lege **ኧኪቶሙ::**

Vs. 18. **ንስር:** In Vers. Lat. legitur *visionem*, quod praeferendum videtur: nam imperium Romanum, quod aquilâ repraesentatum est, eo tempore, quo auctor scripsit, *existebat*, idcirco *nondum advenisse* dici nequit. Auctor vero per *visionem* spectavit ea, quae Ezra viderat locum habitura ad finem mundi. In Vers. Arab. habetur *visionem aquilae*, unde fortasse patet, vocabulum *aquilae*, *τοῦ ἀετοῦ*, ab aliquo ad marginem esse adscriptum, ut indicaret, quaenam visio h. l. intelligenda esset; haec vero vitiosa explicatio dein in textum inserta est, et voce *visio*, *ὅρασις*, obliteratâ, remansit *τοῦ ἀετοῦ*, quod igitur mutari debuit in *ὁ ἀετός*, sicuti legit Aethiops.

Vs. 20. እምሀርሙ፡ Lege እምህርሙ፡, propter subintelligendam conjunctionem ከመ::

Vs. 21. ይሚሀርሙ፡ Lege ይሜህርሙ::

Vs. 23. ዘሀለወከ፡ Lege ዘሀለውከ::

Vs. 24. መንፈስ፡ ቅዱስ፡ Lege መንፈሰ፡ቅዱሰ:: — Ib. ወኵሉ፡ — እጽሕፉ:: Haec duo vocabula desunt in Vers. Lat. et recte, ut videtur: sensus est: omne, quod factum est in mundo, ut ex eo semitam vitae discant homines, scriptum est in libris sacris; idcirco ipsum legis (i. e. Vet. Test.) argumentum est historia illa, quam conscribere voluit Ezra. Fortassis in margine Codicis lectum fuit ወኵሉ፡ እጽሕፉ፡, tanquam varians lectio pro ወእጽሕፉ፡ ኵሎ፡, quod modo antecessit, sed ita, ut, propter breve in margine spatium, una vox sub alterâ poneretur, et inde factum, ut haec duo vocabula dein a se separata in textum inserta sint.

Vs. 27. ለሶርዮ፡ Legendum videtur ለሳርዮ፡, nam in Vers. Lat. legitur *Saream*. Ezr. II. 2 tale nomen scriptum est Hebr. שְׂרָיָה.

Vs. 28. ኣኍቁ፡ Tertia Conjugatio verbi ኍቀወ፡ in LUDOLFI *Lexico* non est memorata, et contexta oratio, confirmante Vers. Lat., postulat verbum causativum; idcirco lege ኣኍቁ:: — Ib. ዘሀለወከ፡ Lege ዘሀለውከ::

Vs. 29. በዘ፡ ገሀደ፡ Lege ቦ፡ ዘገሃደ፡ nulla enim sunt adjectiva formae ገበር:: — Ib. ወበ፡ Lege ወቦ::

Vs. 31. እስሬኤል፡ Lege እስራኤል:: — Ib. ትካት፡ Ante hoc vocabulum supple እም፡, quod, ob similitudinem cum statim antecedenti ኪሙ፡ facile e textu excidere potuit. — Ib. ወቤዘዎሙ፡ In Vers. Lat. legitur *et liberati sunt*. Subjectum in Vers. Aeth. procul dubio est *Deus*, sicuti e vs. 33 patet, ubi subjectum similiter non nominatum est. H. quoque l. in Vers. Lat. usur-

patur verbum in passivo, quod utroque loco praeferendum videtur, nam nomen *Dei*, qui in utroque loco tanquam subjectum cogitandus est, a Judaeo reverentiae causa procul dubio additum fuisset; lege ergo ወ ቤዘውዎሙ፡ Hollande *en men heeft hen verlost*, i. e. *liberati sunt*. Litera ው ante ዎ facile excidere potuit, ob figurae similitudinem.

Vs. 33. ወወሀበኒ፡ Lege ወተውሀበኒ፡, vide quae mox diximus ad vs. 31: pro sequenti ምድረ፡ igitur lege ምድር። Tandem in Vers. Lat. pro affix. 1ae pers. plur., sicuti in hoc versu habetur, legitur pronomen 2ae pers. plur., quod praeferendum videtur: nam Ezra h. l. alloquitur populum suum et in praecedentibus et sequentibus pronomen 2ae pers. plur. in Aeth. quoque Vers. adhibitum est.

Vs. 35. ጽዱቅ፡ Lege ጽዲቀ፡, docente Vers. Lat. et confirmante oratione contextâ.

Vs. 37. ወሀቁብኒሙ፡ In Vers. Lat. aptius legitur *vivi conservati eritis*, tanquam apodosis enunciationum praecedentium: copula ወ፡ igitur sequenti voci ኢትሞውቱ፡ praefigenda est. — Ib. ሒይወትኒሙ፡ Lege ሕይወትኒሙ። — Ib. ወኢየሐይወኒ፡ Dele ኢ፡ docente contextâ oratione et Vers. Lat. In hac aptius legitur *quando iterum reviviscemus:* subjectum enim non expressum est in Vers. Aeth.

Vs. 38. ወኢትኗሠሡሪ፡ Lege ወኢትኗሦሡሪ።

Vs. 39. ፫፡ Lege ፭፡ cf. vs. 27 et 44 h. Cap.

Vs. 41. ወበሳሪት፡ Legendum videtur ወበሳሪቷ፡ ዕለት፡ cf. IV. 44; X. 4, 74. — Ib. ዘእስትየኩ፡ Lege ዘኣስትየኩ፡ cf. tamen LUD. *Gr. Aeth.* p. 41 VIII. ann. — Ib. ወፈትሕኩ፡ Lege ወፈቷሕኩ። — Ib. ማየ፡ In Vers. Lat. ante hoc vocabulum apte legitur

sicut: potus enim ille, qui Ezrae porrigebatur, divinus erat, non terrestris; idcirco auctor eundem cum re terrestri *comparare* quidem potuit, non vero *describere* tanquam rem terrestrem. — Ib. ኦሳተ: Lege እ ሳት::

Vs. 45. ትእምርተ: In Vers. Lat. recte legitur *quae dicebantur,* nempe *a me*, i. e. *quae dictabam:* Ezra enim his quinque viris in calamum dictabat, quae ipsi a Deo erant revelata. Cum Latino cōnvenit Arabs.

Vs. 48. ኤየረምም: Lege ኢየረምሙ::

Vs. 50. ተፈጸመ: Lege ተፈጸሚ:: — Ib. ዘንቱ: Lege ዘንተ:, nam hoc vocabulum objectum est verbi sequentis ረሲ:: — Ib. ዘቀደምክሙ: ጽሑፉ: *Id, quod ante vos scriptum est*, sed h. l. sermo esse debet de iis, quae ab hisce quinque viris erant scripta; melius ergo legitur in Vers. Lat. *priora, quae scripsisti*, i. e. *scribenda curasti*, nisi legendum sit *scripsistis*. Idcirco lege ዘእቀደምክሙ: ጸሐፈ:, *quod prius scriptum fecistis.* — Ib. ኵሎ: Lege ኵሉ::

Vs. 51. ወዘንተ: In Vers. Lat. legitur *novissimos autem septuaginta,* quâcum consentire videtur Arabs; certe in praecedenti versu addidit *volumina viginti quatuor:* idcirco restabant 70 alia volumina. Probabile igitur videtur; e Cod. Aeth. post hoc vocabulum excidisse ፸:: — Ib. ለጠቢባን: Lege ለጠቢባኒ::

Pag. 166. l. 2. ኮኔኔ: Lege ኮኔ:: — l. 7. ለዒለም: Lege ለዒለሙ:: — l. 9. ኮርስቶስ: vulgo legitur ክርስ ቶስ:: — l. 11. ስብሐተ: Lege ስብሐት::

CAPUT TERTIUM.

DE ARGUMENTO, AETATE ET AUCTORE HUIUS LIBRI.

Ad tertium tandem Caput accedimus, quo argumentum huius libri enarrabimus, et de eius aetate atque auctore nostram, qualemcunque tandem illam, opinionem proferemus. Aptum nobis visum est, tres hasce quaestiones conjungere, nam, ut duae posteriores arctissime inter se connexae sunt, ita neutra sine bene intellecta prima quaestione explicari potest. Cum vero tres hae quaestiones explicari nequeant, nisi primum libri textus bene intelligatur et a gravioribus mendis liberetur, aptum locum occupat Caput hocce tertium post duo priora.

§ 1. *Enarratio argumenti.*

(C. I. V. Aeth. C. III. V. Lat.) Anno tricesimo Captivitatis Babylonicae Ezra vivebat Babylone, ibique vehementer dolebat terrae Judaicae devastationem, nec intelligere poterat, quare Deus Israëlitas, populum suum electum, tam gravibus afflixisset malis, atque Gentilium Babyloniorum res fecisset prosperas, quin his illos sub-

jecerat. Idcirco ad Deum se convertit, quem allocutus enarrat, quomodo Deus Abrahami posteros prae ceteris aliis gentibus elegerit, sed, postquam illi nimis sese inquinaverant peccatis, in hostium manus tradiderit. Putaverat ergo, Babylonios Israëlitis multo esse excellentiores atque meliores, sed per 30 annos illorum tot tantaque animadverterat flagitia, ut ne numerari quidem possent. Dubius ergo haeret, quare Israelitae, qui Deum saltem coluerant, eiusque legem quodammodo certe observaverant, cum Babyloniis non pejores essent, his tamen subjicerentur; quin rogat Deum, ut et Israelitarum et Gentilium peccata in bilance ponat: atque certam habere videtur spem, peccata Gentilium graviora esse futura Israelitarum peccatis. Quum hisce meditationibus occupatus esset Ezra, mittitur ad eum Angelus, Uriel dictus, qui variis visionibus ei explicaturus est, quae cognoscere cupiat.

Prima visio. (C. II.—III. 21 V. Aeth. C. IV.—V. 14 V. Lat.)

Huius, quam modo meditatus erat Ezra, rei causam Angelus se traditurum esse ait, modo ille e tribus propositis problematibus unum solvat. Problemata sunt: ponderare ignem in staterâ, metiri ventum mensurâ, et praeterlapsum revocare diem. Ezrâ vero se ea solvere non posse perhibente, Angelus respondet, si tu problemata mea, quae res terrestres spectant, solvere nequis, non potes intelligere agendi rationem Dei. Hoc audito, Ezra in faciem procumbit, exclamans, praestare ut homo non natus esset, quam ut vivat in peccatis et nesciat, qua de re plurima subeat mala. Jam vero Angelus, parabolâ propositâ, demonstrat, hominis non esse, coelestia scire. Rogat Ezra, quare tandem

hominibus datum sit cor, quo cogitent, si de coelestibus cogitare non liceat, et quare Israelitae, populus a Deo electus, Gentilibus, deastrorum cultoribus, traditi sint, ac Deus sui ipsius cultum exstirpet. Huic quaestioni non respondet Angelus, sed Ezram patientem esse debere monet, mundi enim finem et ultimum judicium jam appropinquare. Hic igitur rogat, num plus temporis jam praeterlapsum sit, quam etiamnum supersit, cui quaestioni ita respondet Angelus. Jubet Ezram ad dextram partem discedere, et coram eo transire facit fornacem, e cuius flammâ non nisi fumus remanet, eumque videre facit pluviam, e quâ non nisi guttae restant; quantum autem flamma fumum et densa pluvia superet guttas, tantum tempus praeterlapsum plus est futuro. Rogat Ezra, num ad finem mundi adhuc in vivis futurus sit, et quae tum locum sint habitura. Angelus vero, se ad posteriorem solummodo quaestionem respondere posse dicens, haec addit. ' Eo tempore magnus invadet homines terror; veritas et fides deërunt, sed injustitia dominabitur; regio, quae nunc dominatur (Roma), erit deserta; post tertiam tubam terra erit turbata; sol noctu, luna interdiu fulgebit; ex arboribus sanguis stillabit; lapides clamabunt; populi commovebuntur; stellae e coelo decident; et, quem nemo suspicatus erat, regnabit; clamor multa transibit loca; ignis de coelo decidet; bestiae huc illuc se vertent; mulieres parient monstra; aqua dulcis amara fiet, amici secum invicem pugnabunt; sapientia et consilium aberunt; injustitia et stultitia praevalebunt, nec invenietur justus. Iis diebus homines quidem bona quaeque sperabunt, sed non consequentur; matrimonia contrahent, sed festa conjugalia non celebrabunt, et quidquid operentur, nihil

iis feliciter cedett. Jam evigilat Ezra, viribus deficiens, ad quem adveniunt ipsius populares, quaerentes, quare haud porro curam gerat Israëlitarum, sed hos reliquerit. Ezra vero eos abire jubet, et non nisi post 7 dies redire; ipse autem orat et plorat et jejunat per 7 dies, sicuti Angelus monuerat, ut post eos plura insuper cognosceret.

Secunda visio (C. III. 22—IV. 37. V. Aeth., C. V. 15—VI. 34. V. Lat.)

Praeterlapsis 7 diebus, Ezra iterum queri incipit de malis, quibus afflicti sint Israëlitae, et de agendi ratione Dei cum populo suo electo. Hanc se explicaturum esse promittit Angelus, si Ezra unum e sequentibus problematibus solvat: numerare dies, qui nondum venerunt, colligere flores ubique terrarum dispersos, aridum gramen viride reddere, aperire promptuaria clausa animasque in iis inclusas producere, facies eorum, quos nunquam viderit, ostendere. Ezrae, se hoc non posse dicenti, respondet Angelus, sic non potes intelligere judicium meum (1), nec finem amoris, qui populum meum manet. Ezra vero eos feliciori sorte uti dicit, qui ad mundi finem in vivis sint futuri, quippe ultimo judicio propiores; sed Angelus ait, judicium meum circulo simile est: idcirco nec, qui priori tempore vixerunt, praeibunt, nec qui posteriores fuerunt, serius venient. Ezra autem miratur, quare omnes homines non simul sint nati, ut nempe ultimum judicium citius sit futurum; sed Angelus monet, terram hos omnes simul sustinere haud posse, et uti mater parere nequit 10 liberos simul, sic matricem terrae omnes simul procreare non

(1) Ab hoc inde loco auctor saepissime Angelum permutavit cum Deo.

posse. His dictis Ezra ad aliam transit quaestionem; rogat enim, num mater, terra, juvenis adhuc sit, an jam ad senectutem appropinquet. Senescentem eam esse, ait Angelus. Per quem, rogat porro Ezra, Deus mundum est visitaturus. Primum, respondet Angelus, per filium hominis, deinde per me ipsum (1), et, quum ille signum quaerat, e quo cognoscat tempus mundo etiamnum superstes, hic obscure id tradit. Tempus, ait, hocce simile est tempori ab Abrahamo usque ad Isaäcum, et sicuti Jacobus Esavi calcaneum tenebat, quum uterque nasceretur, initium mundi futuri sine intermissione sequetur finem huius mundi. Tandem Ezra ab Angelo rogat, ut pergat in signis tradendis, e quibus finis huius mundi cognosci possit. Veniet, inquit Angelus, (filius hominis), ut visitet eos, qui eo tempore in terra adhuc vivent. Tum ipse Deus inquiret in hominum impietatem, quando Sion novusque mundus erit perfectus; libri (in quibus hominum facta descripta sunt) aperti jacebunt, ita ut quisque eos videre possit; pueri anniculi loquentur; gignentur infantes, quos matres per tres tantum quatuorve menses gesserunt; terra seminata ex improviso videbitur non seminata; horrea plena conspicientur vacua; tubâ clangetur, ita ut omnes, qui audituri sint, timeant; amici cum amicis pugnabunt; pavor omnes invadet homines; aquarum fontes per tres annos non fluent. Qui vero remansuri sint ex omnibus iis, qui tum vivent, salutum divinam conspicient, finemque mundi; videbunt eos, qui in coelum adscenderunt; cor eorum mutabitur, vera fides regnabit et justitia, quae hucusque nullos tulit fructus, florebit. Angelus vero

(1) Angelus iterum loquitur, ac si ipse esset Deus.

Ezram iterum jubet per 7 dies orare, plorare et jejunare, ut post eos plura cognoscat.

Tertia visio (C. IV. 37—IX. 27 V. Aeth. C. VI. 35—IX. 25 V. Lat.)

Postquam Ezra per 7 dies oraverat, fleverat et jejunaverat nocte octavâ denuo convertitur ad Deum, rogans, quare Israëlitae mundum, quem Deus propter eos conditum fuisse dixerit, non possideant, sed hostibus sint subjecti. Respondet Angelus, Adami peccatum causam esse, ob quam viae huius mundi factae sint angustae et molestae; pios autem mundum futurum beatum exspectandum habere, impios vero mundum hunc beatum haud ingressuros, quippe qui praecepta Dei negligant, quin, Deum non esse, dicant. Jam mittitur quaestio de agendi ratione Dei cum populo suo electo, et pergit Angelus ea enarrare, quae ad finem mundi locum habebunt. Urbs, ait, quae conspicitur (hodie), abscondetur, et conspicietur terra (hodie) abscondita; quicunque ab impietate liber erit, gloriam Divinam conspiciet; prodibit Messias cum iis, qui cum eo sunt, eosque qui resuscitabuntur, laetificabit per 400 annos (1); deinde morietur Messias, omnisque anima vivens, et mundus per 7 dies quiescet, postquam in antiquum statum, in quo olim fuit, fuerit conversus. Post 7 autem illos dies resuscitabitur mundus sed incorruptibilis, atque mortui et sepulti resuscitabuntur. Tum conspicietur Deus in solio judiciali, ex unâ eâque severâ justitiâ sententiam laturus; firma constabit justitia, et orientur inde opera Deo grata, quae mercede non carebunt; probitas evigilabit, neque dominabitur porro peccatum. Ultimum autem judicium sic erit: Puteus

---

(1) Sic sec. Vers. Lat., in Vers. vero Aeth. annorum numerus deest.

condemnationis erit e regione loci consolationis (felicitatis) et fornax Inferni coram Paradiso; Deus alloquetur e morte resuscitatos, terrâ in Chaos mutatâ, unice fulgente splendore Majestatis Dei; dies autem judicii durabit 700 annos (1). Hisce dictis, Ezra ait se vereri, ne paucissimi tantum sint futurae felicitatis participes futuri, quia omnes peccatis sunt obruti. Hoc non negat Angelus, addens, ideo a Deo duplicem mundum esse creatum, ut pii ab impiis separentur; nec mirandum esse, paucissimos tantum salvari: aurum enim multo rarius esse luto; neque de his, qui perituri sint, curam esse habendam, eos enim suâ ipsorum culpâ perire. Ezra tamen animalia ratione carentia feliciora praedicat hominibus; hos enim, simulac nascuntur, accipere cor malignum, quod omnes incitet ad peccandum, idcirco poenas luere eos debere, illa vero nullam post mortem remanere vitam, ideoque nullam etiam poenam. Angelus autem reponit, homines accipere quidem cor malignum, sed Deum praecepta dedisse (ut eorum imbecillitati succurreret), quae si observent, felicitatem eos sibi conquirere posse. Missâ hacce quaestione de jure, quo hominibus sua ipsorum peccata imputentur, Ezra rogat, num homines continuo post mortem remunerationem accepturi sint vel poenas. Angelus ita respondet. Postquam Deus aliquem mori jussit, eius anima e corpore exit et redit ad Deum. Primum coram Deo se prosternit; si autem anima in corpore hominis impii fuerit, haec non intrat lucis habitaculum (2), sed circum id vagatur, plurimaque patitur et 7 ei ostenduntur dolo-

(1) Sec. Vers. Aarb. *hebdomadem annorum.*

(2) Sic sec. Vers. Arab., in Vers. Aeth. deëst vox *lucis.*

rum genera. (1^{um}) In eius memoriam revocatur, se legem Dei non observasse. (2^{um}) Comperit anima, sibi non licere in vitam redire (ad emendandam pristinam agendi rationem. (3^{um}) Videt praemia, quae reposita sunt fidelibus Dei cultoribus. (4^{um}) Videt judicium, quod in ultimi judicii die subitura est. (5^{um}) Videt justorum animas ab Angelis in sepulchris custoditas. (6^{um}) Videt poenas, quas continuo post exitum e corpore ipsa luere debet. (7^{um} illudque gravissimum) Adspicit Majestatem Dei, quâ jam ipsa destituta est, ideoque dedecore, timore et pudore afficitur. Piorum vero animae, quam primum coram Deo se prostraverint, eius Majestatem adspicientes, summo afficiuntur gaudio et per 7 ordines eas ducit Deus. (1^{us}) In earum memoriam revocatur vita anteacta, quâ omnes intenderunt vires, ut peccata evitarent. (2^{us}) Vident poenas, quibus impiorum animae afficiuntur. (3^{us}) Deus iis testimonium praebet, se secundum suas ipsius leges vixisse. (4^{us}) Vident quietem, quâ in sepulchris, ab Angelis custoditae, fruiturae sunt, gloriamque, quam in ultimo judicio sunt accepturae. (5^{us}) Gaudent, quia jam corpore sunt liberatae, nec porro mortem metuendam habent. (6^{us}) Fulgent tanquam sol et stellae. (7^{us} caeteros superans) Gloriantur de gaudio, quod fides sua sibi praeparavit; jam jam enim faciem Dei adspecturae sunt, et ab eo honorem et praemia accepturae. Ad haec omnia videnda et subeunda, animis 7 dies conceduntur, post quos in sepulchra abeunt. Quaestioni Ezrae, num intercessio sit apud Deum, Angelus negando respondet; olim quidem, idem addit, alii pro aliis intercesserunt, sed hoc factum est, quia in hocce mundo gloria Dei non omnibus partibus absoluta exhibetur; sed in altero mundo unice

regnabunt justitia et veritas, ideoque intercessioni nullus ibi dabitur locus. His auditis Ezra exclamat; melius fuisset, si Adam non fuisset natus, quam eum natum esse et peccasse, omnesque homines in peccata traxisse, quo factum, ut omnes indigni sint futurâ felicitate. Angelus respondet: haecce tua cogitatio omnibus scrupulum movet, cogitantibus, si vel maxime praeceptis divinis observandis operam dederint, peccata tamen tam esse gravia, ut condemnandi sint certissime. Sed quae ego dixi, pergit idem, eadem sunt, quae jam olim Moses et Prophetae dixerunt, sed neque his neque mihi fidem habuerunt. Idcirco major laetitia erit in coelo de iis, qui in observandis praeceptis divinis constantes fuerunt, quam dolor de iis, qui peribunt. Hocce Angeli sermone commotus Ezra Dei misericordiam, clementiam, longanimitatem et munificentiam pluribus effert, concedens, si Deus mundo hominibusque non praeësset, jam dudum exiguum illud bonum, quod etiamnum in mundo invenitur, exstirpatum iri. Pergit porro Angelus dicens, huncce mundum a Deo creatum esse, ut a multis, sed futurum mundum, ut a paucis tantum incoleretur. Quaerit Ezra, quare Deus, qui tantâ curâ omnes complectitur homines, eos creaverit, quos deinceps interitui traditurus sit; simul vero preces fundit, quibus Dei misericordiam erga populares suos implorat. Angelus respondet: uti non omnia semina, ab agricolâ seminata, efflorescunt, sic non omnis, qui natus est in hoc mundo, salvus fit. Reponit Ezra, hanc comparationem non bene procedere, nam hominem ad Dei imaginem creatum esse, idcirco comparari haud posse cum semine plantae. Imaginem bene sese habere, contendit Angelus, quia id, quod in hoc mundo est, similitu-

dinem habet cum iis, quae in hocce mundo sunt, Ezramque admonet, ut suas pro peccatoribus preces missas faciat, quia illi, qui Dei praecepta vilipendunt, suâ ipsorum culpâ pereunt; sed tales, addit, homines, qualis tu es, servantur. His contentus Ezra rogat, ut cognoscat *tempus*, quo ultimum judicium locum sit habiturum; *signa* enim, quae huic tempori praeire debent, jam cognoverat. Quando, ait Angelus, pars signorum, quae dixi, praeteriverit, instat ultimum judicium. Ezrae autem denuo querenti de majori numero eorum, qui perituri sint, quam servandi, Angelus respondet, quemque judicatum iri secundum ea, quae peregerit; idcirco neminem perire, nisi suâ ipsius culpâ: et uti agricola e plantis paucas tantum seligat bonas, caeteras vero, nullos fructus ferentes, eruat, sic Deum pios tantum homines sibi eligere, caeteros vero impios exitio tradere. Verum si tu, ait porro, iterum per 7 dies in deserto vixeris, et nil nisi fructus campestres comederis, neque vinum gustaveris, ad te redibo et plura tibi dicam.

Quarta visio (C. IX. 28—X. 74. V. Aeth., C. IX. 26—X. 60. V. Lat.)

Ezra dein abiit in campum Arphad (secundum Vers. Lat. Ardath), ibique per 7 dies jejunavit; quibus finitis, cor eius turbatur Deumque alloquitur, dicens, populares quidem suos Dei legem omnino neglexisse, sed eam nihilominus adhuc salvam esse. Sperare igitur videtur, fieri posse, ut homines postea nascituri eam legem observent. Sed in mediâ ratiocinatione subsisti, de improviso videns a parte dextrâ mulierem vehementer dolentem. Causâ rogatâ, illa dicit: 30 annos nupta, filium peperi, quem multo cum labore nutrivi, eique adulto uxorem elegi, et epulas instruxi; sed, cum in thalamum

venisset, derepente mortuus est, tum, luminibus exstinctis, tacens ad primum usque diluculum, postquam abierant, qui me consolatum convenerant, effugi, neque edere neque bibere volo, donec moriar. Quibus anditis, Ezra mulierem consolari studet, eiusque calamitatem terrae sanctae calamitate multo minorem esse pluribus demonstrat; idcirco *jubet eam a nimio* dolore abstinere, cum sperare possit, ut alium pariat filium. Ita vero Ezrâ eam consolante, mulieris facies subito fulgere incepit, magnâque ac terribili voce clamavit, ita ut terra commoveretur: et ecce mulier illa facta est civitas aedificata! Jam clamare incipit Ezra, putans, se jam moriturum esse, sed advenit Angelus, qui apprehensâ eius dextra, eum in pedes erigit atque hanc visionem sic explicat: Mulier, inquit, *Sion est*, et *sterilitas* eius per 30 annos significat tempus, quo nullum sacrificium in Sione oblatum est; generatio autem filii significat aedificationem templi Salomonei; nutritio multo cum labore est inhabitatio urbis Hierosolymae; mors tandem filii est huius urbis ruina. Tu vero, pergit idem Ezram alloquens, conspice gloriam et splendorem novae urbis Hierosolymae (coelestis) atque sine *ullo* esto *timore*; remane autem hîc, et plura insuper cognosces.

Quinta visio (C. XI. 1—XII. 44. V. Aeth., C. XI. 1—XII. 39. V. Lat.)

Nocte sequenti Ezra in somniis videt e mari surgentem Aquilam, 12 pennis et 3 capitibus instructam; e 12 pennis proveniebant 8 parvae exilesque pennulae (1),

---

(1) Sec. Vers. Aeth. e 12 illis pennis oriebantur 8 capita, et haec fiebant pennulae. Sed ista lectio videtür esse depravata, et recentiori tempori attribuenda, quae ne omnibus quidem locis sibi constans mansit; vide XII. 3. Fortassis originem duxit ab aliquo, recte quidem *intelligente*

capita autem silebant, mediumque caput utroque altero majus erat. Haecce Aquila super totam terram volabat, ut omnes eius habitatores sibi subjiceret; et nemo sese ei opponebat. Tum unguibus stetit suis, et talia verba, non ex eius ore sed e medio corpore provenientia, ad pennas locuta est: ne omnes vos simul vigilate, sed dormite suo quaeque loco, et suo quaeque tempore vigilate, capita vero ultima erunt quae vigilent. Hisce dictis surrexit penna a parte dextrâ, sed post aliquod temporis spatium periit. Deinde altera surrexit, quae post longum imperium similiter periit; sed ante eius interitum haec verba audiebantur: nemo post te tam diu quam tu, ne dimidium quidem temporis tui, regnabit. Porro omnes illae pennae, quae ad dextram partem erant, regnarunt et perierunt; et similiter, quae ad sinistram erant partem: sed inter has erant, quae, quamvis se erigerent, tamen non regnarent. Cum his 12 pennis simul perierunt 2 pennulae, ita ut ex his 6 solummodo restarent, quarum 2 sese posuerunt sub praesidio capitis magni, quod ad dextram partem erat; 4 autem, quae supererant, pennulae secum invicem consilium inierunt regnandi. Postquam earum 2 brevi perierant, 2 reliquae imperare coeperunt. Mox vero caput medium altera 2 capita sibi adscivit et cum iis comedit 2 has pennulas. Hoc autem caput, quod majus erat quam altera 2 capita, magnâ cum tyrannide regnavit super totam terram, vehementerque vexavit eius incolas plus, quam pennae quae ante

---

8 illis pennulis et 3 capitibus repraesentari 11 cornua, quae memorantur in Danielis libro (VII. 7., 8.), sed textum mutante, ut in nostro etiam libro numerus 11 ex eiusdem generis rebus constaret, nimirum 11 capitibus, sicuti in Danielis libro 11 cornua habentur. Eâ ratione somnium hocce obscurum quodammodo explicare, puto, voluerit.

id regnaverant, sed periit. Caput autem, quod ad dextram partem erat, devoravit caput, quod ad sinistram erat, ita ut illud solum restaret cum 2 pennulis, quae sub eius praesidio sese posuerant. Jam vero Ezra videt Leonem, e deserto *surgentem*, voce humanâ *rugientem*, Aquilae peccata sua exprobrantem eique interitum instare annunciantem. Quibus dictis periit ultimum illud caput. Sed nunc 2 illae pennulae imperium sibi vindicarunt; regnum autem earum erat tumultu plenum, et tandem ipsae perierunt. Sic tota periit Aquila. — Hocce somnium ita explicat Angelus: Aquila significat quartum regnum, quod ostensum fuit Daniëli; illudque magis timendum est, quam omnia regna, quae ante id fuerant; 12 pennae significant 12 reges, quorum secundus diutius regnabit quam caeteri: et vox, quae e medio corpore prodiit, significat multas contentiones, quae in illo regno locum habebunt; 8 pennulae sunt 8 reges, quorum tamen regnum erit infelicissimum; 2 cito peribunt, 4 vero longiore vitae spatio utentur, 2 autem reliquae his diutius servabuntur; 3. tandem capita sunt tres reges, qui terram valde vexabunt atque plures res novas molientur, quam ii, qui ante eos fuerunt, ideoque capita Aquilae dicti sunt; caput medium majus representat horum trium regum maximum, qui in lecto quidem suo sed non sine tormentis morietur, duo vero reges reliqui gladio peribunt; 2 denique ultimarum pennularum, id est regum, regnum tumultu plenum erit; Leo, qui e deserto prodiit, est ille, quem Deus ad ultima tempora reservavit, e semine Davidis: hic peccata hominibus exprobrabit, et, postquam eos arguerit, perdet eos; probos vero homines ab improbis liberabit, illosque laetitiâ afficiet, donec venerit ultimi judicii dies. Haec vero,

sic pergit Angelus, scribe in libro, o Ezra! eumque abs-conde et solummodo sapientes populi doce; quos scis in corde suo mysteria servare posse. Denuo autem per 7 dies hîc mane ut plura cognoscas. His dictis Angelus abiit.

Sexta Visio (C. XII. 45 — XIII. 64 V. Aeth. C. XII. 40 — XIII. 58 V. Lat.)

Mox ad Ezram adveniunt ipsius populares, rogantes, ut ad ipsos rediret; sed ille, his abire jussis, per 7 dies in eo, quo erat, loco manet. Quibus praeterlapsis videt noctu in somniis Spiritum e mari prodeuntem, imaginem hominis ferentem, volantem cum nubibus coeli atque omnibus hominibus metum injicientem. A quatuor autem mundi partibus immensa colligitur multitudo, ad virum illum debellandum. Sed hic monte sibi exstructo contra multitudinem istam fluctus ignis flammasque et ignis prunas emittit, ita ut ex eâ nil nisi pulvis et fumus restet; deinde e monte descendit et pacificam multitudinem ad se colligit. Ezra valde attonitus expergefactus est, huiusque somnii eam audiit explicationem: Vir ille est Dei filius, quem Deus ad ultima tempora reservavit, ut mundum sibi redimat atque de iis disponat, qui relicti erunt ultimis diebus. Eo vero tempore homines inter se bella gerent, sed quam primum prodierit ille vir, mutua bella relinquent, ut conjunctis viribus contra hunc pugnent. Is vero, peccatores perditurus, stabit super cacumen montis Sion, qui omnibus apparebit paratus et sine hominum manibus aedificatus. Pacifica autem illa multitudo sunt 9 tribus, quae a Salmanassare in captivitatem abductae sunt, atque in dissitam regionem abierunt, in quâ legem Dei observarent, quam in patriâ suâ neglexerant;

Euphratem igitur transierunt, huiusque fluctus Deus stare fecit, ut transire possent. Haecce regio vocatur Azaph (1), et dissita est iter anni unius et dimidii; in eâ manebunt ad ultima usque mundi tempora; tum Deus fluminis fluctus iterum stare faciet, ut redire possint. Ille autem Vir *e medio mari* prodiit, ad significandum, neminem cognoscere filium Dei ante tempus, quo prodierit in mundi fine, sicuti nemo scit, quae in profundo maris sunt. — Angelus, hîc finem dicendi faciens promittit, se post paucos dies alia mirabilia interpretaturum esse, et per 3 dies Ezra per desertum vagatur glorificans et laudans Deum.

(C. XIV. V. Aeth. C. XIV. V. Lat.). Ezra, sub arbore sedens, audit vocem dicentem: uti olim Mosem jussi, nonnulla populo revelare, alia vero abscondere, sic etiam, quae tu vidisti, in corde tuo repone, nam mundus ad finem appropinquat, et e decem partibus, in quas eius aetas divisa est, dimidium tantum decimae partis restat; idcirco res tuas ordina, et praepara te, ut e mundo discedas. Ezrae roganti, quis post se populi curam gessurus sit? dicit vox: congrega populum, nec tamen per 40 dies cum eo loquere, praepara autem multas tabulas et sume tecum 5 viros, scribendi artis peritos; spiritum enim sanctum in te immittam, omniaque haec mirabilia scripto manda, nonnulla palam fac, alia vero solummodo sapientibus explica. Ezra igitur populares suos admonet, ne ipsum per 40 dies adeant, et cum 5 viris redit in campum. Crastinâ die Ezra bibendum accipit calicem plenum aquâ, cuius color erat igni similis. Hunc postquam ebibit, spiritus

---

(1) Sec. Vers. Lat. *Arsareth.*

eiús exaltatur, simulque Deus intellectum praebet 5
hisce viris, qui omnia haec scripto mandarunt, Ezrâ in calamum dictante. Eo modo conscripti sunt 94 libri, quorum 24 (scripta nempe Vet. Test.) Ezra palam fecit; sed 70 reliquos sapientibus duntaxat tradidit. Quibus finitis Ezra in coelum tollitur.

§ 2. *De aetate et auctore libri.*

Cuique, qui aliquam cum hocce libro contraxerit familiaritatem, vel me non monente, persuasum erit, eum non ab Ezrâ, paulo post Captivitatem Judaeorum Babylonicam vivente, sed diu post ipsum conscriptum esse. Inde vero oritur quaestio, quo tempore et a quo auctore liber sit compositus. Qui hasce quaestiones ex unâ Latinâ Versione solvere velit, sine dubio in errorem ducitur: nam haec, uti supra diximus, a Christiano homine interpolata est et amplificata, ita ut talis judex auctori ipsi adscribat, quae soli attribuenda sunt interpolatori. Atque hoc in causa fuit, ob quam multi perversam de libro protulerint sententiam. Ex antiquissimis scriptoribus Christianis fuerant, qui ipsum putarent ab Ezrâ paulo post Capt. Bab. conscriptum esse (1), quibus tamen vehementer sese jam opposuit Hieronymus, simul negans canonicam eiusdem libri auctoritatem, quam nonnulli ei adscripserant. Eorum tamen nemo fuit, qui de industriâ inquisitionem institueret de aetate et auctore libri nostri. Recentiorum nonnulli fuerunt, qui de duplici hac quaestione opiniones proferrent, sed horum opera mihi comparare

(1) Vide FABRICII *Cod. Pseud. V. T.* II. p. 178—188.

non potui (1). E Fabricii autem et Lückii operibus cognovi, ad nostra usque tempora vulgarem fuisse opinionem, librum nostrum ad finem seculi 1i p. C. n. esse confectum. Sic putarunt Whistonus, Dodwellus, J. A. Fabricius, Corrodius, Storrius, Kaiserus, Lückius, Gfrörerus (2). Alii auctorem initio seculi 2i p. C. n. vixisse affirmant, sicuti J. Basnagius et nostras v. d. Palm. Hartwigius tandem auctoris, et proin libri ipsius, aetatem refert ad initium seculi 3i p. C. n. Pauci tantummodo fuerunt, qui auctorem a. C. n. vixisse statuerent, ad quos pertinent Franc. Lee, Semlerus et Vogelius; uterque hic posterior auctorem vixisse putat versus finem seculi 1i a. C. n. Similiter Laurencius demonstrare conatus est, auctorem scripsisse in temporis spatio ab a. 28—25 a. C. n.

Uti de aetate, sic etiam de auctore libri, Viri docti dissentiunt. Quaeritur, num auctor Christianus fuerit an Judaeus: illud affirmarunt Kaiserus et Hartwigius, hoc vero Le Moyne, J. A. Fabricius, Fr. Lee, Semlerus, Vogelius, Corrodius, Laurencius, Lückius, Gfrörerus. Fuerunt tamen, tantummodo e Vers. Lat. sapientes, qui auctorem Judaeo-Christianum fuisse contenderent, ut Whistonus, Basnage, v. d. Palm; vel talem, qui utrique religioni addictus fuerit, uti Th. Spizelius et Calmetus. Petrus tandem Alixius auctorem Montanistam fuisse affirmavit.

Ex hisce patet, quantopere eruditissimi Viri inter se dissentiant de utrâque hac quaestione, nimirum de

---

(1) Quinam hi fuerint, cognosci potest e FABRICII *Cod. Pseud. V. T.* II. p. 174—192 et LÜCKE, *Versuch einer vollständ. Einl. in die Offenbar. Iohannis.* Bonn. 1832, p. 101 not. 1.

(2) Vide *Tübinger Zeitschrift für Theologie.* Jahrg. 1837. 4es Heft. p. 97—119.

aetate et auctore nostri libri Ezrae. Si singula, quibus diversarum opinionum patroni usi sunt, argumenta accurate cognoscere potuissem, in animo fuisset, ea omnia perlustrare. Trium vero interpretum rationem accuratius cognoscere mihi licuit, nimirum Laurencii, Lückii et Gfröreri, idcirco de his nonnulla monebo, antequam, quid ipse sentiam, exponam.

Laurencius (1) igitur putat, auctorem fuisse Judaeum, quandoquidem non nisi Judaeus dicere potuerit, Deum propter Abrahami posteros mundum creasse (C. IV. 63, 66 V. Aeth.); atque fabula de Behemoth et Leviathane similiter Judaicum ingenium spirat (ib. vs. 56—61); neque obstare vestigia religionis Christianae, in Vers. Lat. obvia, nam ex huius cum utrâque Vers. Orientali collatione patere, ea ut spuria esse rejicienda. Accedit, ea, quae auctor de Messiâ dixit, non convenire cum doctrinâ in N. T. obviâ, sed ex opinione totâ quantâ Judaicâ originem duxisse. Cum hacce de auctore opinione cohaeret docti Angli sententia de aetate libri, quem inter annum 28um et 25um a. C. n. conscriptum esse contendit, eamque sententiam confirmare conatus est, explicatione visionis Aquilae C. XI. et XII. obviae. Per 12 igitur alas ex huius sententiâ intelligendi sunt septem priores reges, qui Romae regnarunt; porro Appius decemvir, Spurius Maelius, Marcus Manlius atque uterque Gracchus; per octo subalares (vel capita, uti habetur in Vers. Aeth.) Sulpitius Tribunus, Marius, Cinna, Marius filius Marii, Carbo, Sartorius, Lepidus et Antonius; per tria tandem capita Sylla, Pompeius et Caesar.

---

(1) *General Remarks*. p. 307—319.

Haec est interpretatio visionis, quam Laurencius dedit. Eius de auctore libri sententiae nihil opponendum habeo, sed quae de alis Aquilae eiusque subalaribus et capitibus dixit, non ita placent, et recte Gfrörerus (1) animadvertit, pro his, quos Laurencius significari putavit, eodem jure alios principes Romanos substitui posse. Nec veri est simile, Judaeum tam accurate Historiam Romanam cognovisse, ut varios illos principes in Republicâ Romanâ viros bene cognoverit: nam exterarum gentium historiae cognoscendae Judaei non multum operae dederunt, et si vel maxime auctor ultima Reipublicae Romanae tempora accuratius cognoverit, priorum certe temporum historia ei valde incognita fuisse necesse est, quandoquidem lingua Latina, quâ haec erat conscripta; a Judaeis haud addiscebatur. Neglexit adeo Laurencius Danielis librum conferre ad explicandam visionem in nostro libro obviam, quamvis auctor ipse (C. XII. 16 V. Aeth.) lectores ad illum referat.

Lückius (2) accuratam de auctore instituit inquisitionem. Loca, quae aperte Christianum auctorem produnt, ut spuria jure putat ejicienda; vel sic tamen observavit alia *χριστιανίζοντα*, quae vocat, loca, e quibus concludit, auctorem Judaeum Hellenistam fuisse, cuius de Messiâ opinio, praesertim quae habetur C. XIII., a Christianâ religione non plane diversa fuerit. Convenit igitur Lückius cum Laurencio: uterque enim auctorem Judaeum dicit. Verum in definiendâ aetate libri valde ab eo discrepat. Contendit, auctorem narrantem

---

(1) *Tübinger Zeitschrift für Theologie.* 1837. 4es Heft. p. 108—109.

(2) *Versuch einer vollständigen Einleitung in die Offenbarung Johannis.* Bonn. 1832, p. 102—115.

(C. IX. 38 — X. 49 V. Lat.) Hierosolymae ruinam, verbis aperte significasse illam, quae ante exsilium Babylonicum locum habuit, sed tacite intellexisse alteram huius urbis devastationem, cuius Romani auctores fuerunt. Idcirco putat, librum ad finem sec. 1^{i} p. C. n. esse confectum. Jam concedo, scriptorem *potuisse* alia *dicere*, alia *intelligere:* sed, nisi demonstretur, auctorem alia, quam dixerit, intelligere *debuisse*, talis ratiocinatio pro argumento non valet, nam hic *potuit* etiam ea intelligere, quae expresse significavit. Porro e fabulâ de Behemotho et Leviathane Lückius concludit, auctorem post Hierosolymam a Romanis devastatam vixisse, quandoquidem illa non occurrit apud Judaeos tempore ante-Christiano; sed ne hoc quidem argumentum validum est, quandoquidem opiniones Judaicae, quae in recentioribus demum libris inveniuntur, originem ducere potuerunt, et maximam partem revera duxerunt, e traditionibus antiquis in Synagogâ atque a doctoribus Judaeis servatis et propagatis. Tandem visione Aquilae, C. XI. et XII. obviâ, eandem opinionem confirmare conatur. Per 12 alas intelligit 12 Imperatores, quorum, secundus Augustus, omnium diutissime regnavit, atque inde concludit, auctorem scripsisse sub Nervâ vel Trajano Imperatore, ideoque 30^{um} annum Captivitatis (C. III. 1 V. Lat.) esse debere 30^{um} annum post Hierosolymam a Romanis devastatam. Quinam vero intelligantur per 8 subalares et 3 capita, Lückius se nescire aperte fatetur, quamvis ipsi probabile videatur, per 8 subalares intelligendos esse 8 reges Imperio Romano subditos, quorum duo tamen auctoris tempore posteriores esse videntur, uti et tria illa capita; nisi auctor per haec significaverit, quae Johannes in Apocalypsi C. XIX. 19 sqq. vocavit,

τὸ θηρίον καὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς καὶ τὰ στρατεύματα αὐτῶν συνηγμένα ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ ἵππου καὶ μετὰ τοῦ στρατεύματος αὐτου. Verum haecce Lückii interpretatio fluctuat, nam ex eo, quod pars tantum visionis explicata sit, patet, visionem non totam ab eo fuisse intellectam; nec convenit illa interpretatio cum eo, quod ipse auctor aperte pronuntiavit. E. Cap. enim XI. 22 sqq. V. Lat. patet, octo illas subalares regnasse *post* 12 alas. Postquam enim 12 alae et 2 subalares perierant, Ezra vidit *et ecce subalares cogitabant se erigere et tenere principatum;* et per eas significari reges, qui Imperio *Romano* praefuerunt, patet e C. XII. 29 sqq. V. Lat., ubi legitur *Et quoniam vidisti subalares octo cohaerentes alis eius, haec est interpretatio. Exsurgent in ipso (nempo regno Romano) octo reges, quorum erunt tempora levia* sqq. Si igitur per 12 alas intelligendi sint 12 priores Imperatores Romani, per 8 subalares et 3 capita intelligi debent 11 sequentes Imperatores. Sed, auctorem 23 Imperatores significare haud potuisse, infra videbimus. Inde igitur sequitur, Lückii interpretationem (pace Viri Cl. dicam) non recte se habere.

Tandem Gfrörerus (1) nuperrime conscripsit disquisitionem de auctore et aetate nostri libri. Primum animadvertit, librum non ante iniens, vel potius medium, seculum 1um conscribi potuisse, quandoquidem scriptores N. T., Fl. Josephus atque antiquiores Rabbini libri nullam mentionem fecerunt. Sed tale argumentum e silentio ductum omni vi destitutum est, quia noster Ezrae liber non talis est, qui a scriptoribus memo-

---

(1) *Tüb. Zeits. für Theol.* l. l. p. 97—119.

ratis citari debuerit: neque video, quo modo Josephus eum adhibere potuerit in conscribendâ Judaeorum historiâ. Huc accedit, nihil obstare, quominus ponamus, librum huncce in Aegypto esse confectum; unde facile intelligimus, memoratos scriptores eum ne cognovisse quidem. Isto tamen argumento omnium infirmissimo utitur Gfrörerus, ad sententiam suam confirmandam, nempe auctorem verbis memorasse ruinam Hierosolymae, Nebucadnezare auctore, sed tacite alteram intellexisse huius urbis devastationem, auctoribus Romanis. Hanc suam opinionem confirmari putat eo, quod auctor septies ruinam urbis sanctae (III. 27. IV. 23. V. 28, 35. VI. 57. X. 7. 8. V. Lat.) memorat; eumque de industriâ ita egisse contendit, non ut indicaret priorem devastationem, quam Judaei haud in memoriam revocarent; nam post eam jam 600 annos praeterlapsos fuisse; sed alteram illam sub Vespasiano Imperatore. Ex hac tamen Gfröreri ratiocinatione fere efficiam, virum Cl. haud accurate Ezrae librum legisse: nam, ne dicam de templo Salomoneo, Iudaeorum menti semper inhaerente, tenendum est, praecipuum argumentum priorum capitum esse de eo, quare Israëlitae, populus a Deo electus, in Gentilium manus traditi sint? Quae quaestio quinque prioribus locis, a Gfrörero laudatis, repetitur, at solo 7° loco memoratur Iudaeorum tristitia; non igitur nisi 6° loco urbis sanctae ruina indicatur, neque id de industriâ, et invitâ veluti oratione, sed solummodo ad consolandam mulierem dolentem. Omni igitur vi destituta est sequens Gfröreri ratiocinatio, quae hacce septies, ut ait, memoratâ Hierosolymae devastatione maxime nititur. Sic enim pergit: si urbs sancta, quae Ezrae (C. X.) ostenditur, sit coelestis Hierosolyma, necesse est, Hierosolymae devastatio significetur illa,

cuius Romani auctores fuerunt; si vero illa urbs sancta sit Hierosolyma, cuius aedificationi ipse praefuit Ezra, Hierosolymae devastatio significatur, cuius auctor fuit Nebucadnezar. Verum auctor aperte docet, Ezrae ostensam fuisse Hierosolymam coelestem: ergo idem debuit tacite posteriorem significare Hierosolymae ruinam, auctoribus Romanis. — Nulla autem causa suadet, ut statuamus, auctorem significasse, Hierosolymam coelestem *continuo* sequi *debere* post Hierosolymam destructam, eundemque illius Hierosolymae visionem arctissime conjunxisse cum memoratâ urbe sanctâ destructâ. In capitibus enim, caput X antecedentibus, auctor maxime spectavit Judaeorum infelicitatem, urbis vero sanctae ruinam tantum X. 7, 20—23 (V. Lat.), nec de industriâ, sed quasi *ἐν παρόδῳ*, memoravit; coelestis autem Hierosolymae visionem conjunxit cum signis, quae versus finem mundi locum sint habitura. Neque ante devastatam a Romanis Hierosolymam apud Judaeos defuit spes coelestis Hierosolymae. »Post »Ezechielem" ait Ewaldus (1) »qui Hierosolymae multo »quam prius fuerat, splendidioris et amplioris futurae, »imaginem depinxerat c. 40 sqq. nunquam fere deest »*urbis sanctae* forma augustiore prodituræ spes; cuius »imago sublimior, cum jam nunc in coelo asservari »putaretur, Hierosolymam hanc coelestem, sanctorum »sedem praecipuam, in mundo illo instaurato coelitus »in terram demissum iri sperabant seriores hi vates."

Demonstrare igitur conati sumus, non necesse esse, ut auctor, memorandâ ruinâ Hierosolymae, auctore Nebucadnezare, tacite intellexerit huius urbis devastationem per Romanos. Videamus tandem, num e visione, C. XI. et

---

(1) In *Commentario in Apocalyps.* p. 307.

XII. traditâ, Gfrörerus jure effecerit, auctorem ad finem seculi 1i p. C. n. vixisse. Per 12 alas significari putat 12 Imperatores, qui Romano imperio praefuerunt vel praeësse conati sunt, nimirum Caesar, Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vindex, Nymphidius, Piso, e quibus novem priores revera imperarunt, sed tres posteriores imperare quidem conati sunt, imperium tamen non occuparunt. Sic exacte explicuisse sibi videtur Gfrörerus, quae in textu leguntur: nam in hoc omnino legitur e 12 alis fuisse etiam quae, quamvis imperare studerent, vel sic tamen ad imperium non accesserint.. Porro tria capita explicat per tres Flavios, Vespasianum duosque eius filios Titum et Domitianum (1). Per *octo tandem su-*

---

(1) Si Gfrörerus C. XI. 23 et 30 V. Lat. critice considerasset atque Vers. Aeth. contulisset, haud tantam operam dedisset ad explicandum somnum capitis medii, utroque altero capite vigilante: nam huius rei, vitiis emendatis, nullum in textu vestigium est. Cff. quae ad utrumque locum supra monuimus. Quae porro de cognomine *tacentium* refert, parum probabilia videntur. Illud duplici modo explicare conatur; vel ita, ut originem ducat a Vespasiano, et sponte suâ ad eius filios translatum sit; (sed si vel maxime Vespasianus tacens dici possit, in eius tamen filios hoc cognomen non quadrat, sicuti Gfrörerus ipse l. l. p. 113 init. significat); vel ut e nomine *Domitiani* ortum sit et sic ad eius patrem et fratrem translatum: ait enim: »denn der Name Domitian, von »dem Munde eines Juden ausgesprochen, führte von selbst auf den »Begriff Schweigen, da die ersten Buchstaben des Worts, gleichsam »seine Wurzel, im Hebräischen und Chaldäischen Schweigen bedeu»ten: דום. Es bezeichnet namentlich das Schweigen des Todes; wes»halb der Todesengel דּוּמָא *praefectus silentii* genannt wird." Tandem ait »Ohnediess mögen die Juden sich diese Dynastie als Höllen»geister, das heisst als Bewohner des Schweigendes Reichs (so nannte »man die Hölle) gedacht haben." Contortam esse talem interpretatio-

balares intelligendi sunt, secundum Gfröreri sententiam, Herodes Magnus, Agrippa 1., Eleazar, Johannes Gischalensis, Simon Bar-Giora, Johannes Idumaeënsis, Agrippa II. et Berenice.

De ultima hacce explicatione idem valet, quod supra monuimus; nimirum libri auctorem docere, octo subalares regnasse post interitum 12 alarum, atque in eodem, in quo hae, regno. Hocce argumentum sufficit ad Gfröreri sententiam refutandam. Erravit insuper, ex eo, quod hae subalares dicuntur *pennaculae minutae et modicae* (C. XI. 3. V. Lat.), concludens intelligendos esse reges 12 regibus, per alas significatis, minores et his subjectos: nam, praeter argumentum modo memoratum, obest etiam Angeli interpretatio C. XII. 20 V. Lat. tradita. Ibi enim 8 subalares sic explicantur: »Exsurgent in ipso (regno Romano) octo reges, quo»rum erunt tempora levia et anni citati." Patet idcirco, subalares dictas esse minutas et modicas, quia brevi tempore regnarent. Gfrörerus tamen ipse sensit, suam explicationem non bene procedere, sed, quominus meliorem daret, impedivit, uti ait, textus vehementissime depravatus. Verum, si antequam visionem hanc explicaret, singula verba accuratius considerasset, et Vers. Lat. cum Aeth. contulisset, praeceptam animo opinionem defendere haud conatus esset, invitâ ipsius auctoris mente. Inde vero sequitur, explicationem 12 alarum et 3 capitum similiter non bene sese habere: nam ex 8 subalaribus 6 regnare debent post 12 alarum, et ante

---

nem quisque intelligit, animadvertens auctorem ea capita tacentia dicere, quia ultimo demum tempore regnarent, ideoque ad hoc usque tempus tacere deberent; vide XI. 9, 10 V. Aeth. et XI. 8, 9 V. Lat.

3 capitum, imperium. Si igitur 12 alis significentur Imperatores Romani, liber conscribi haud potuit ante medium vel finem seculi 2i p. C. n.

Perlustratis igitur Laurencii, Lückii et Gfröreri opinionibus, restat tandem, ut nostram qualemcunque opinionem proferamus. Primum videamus de auctore libri.

Quae alii, inprimis Laurencius et Lückius, de hac quaestione egregie jam observarunt, faciunt, ut de eâ breves esse possimus. Auctorem enim Judaeum fuisse luce clarius est (1); sed quaeritur, num in Palaestinâ vixerit, an vero in Aegypto. Difficillima est haecce quaestio, nam in ipso libro nulla fere vestigia occurrunt, e quibus vel pro hac, vel pro illâ sententiâ, satis certa argumenta duci possunt. Veri tamen similius mihi videtur, auctorem in Aegypto vixisse. Pro quâ sententiâ militat temporis computatio, quae in Vers. Aethiop. et Arab. ad finem libri legitur; in Latinâ quidem deest, verum seriore demum tempore eam in hac omissam esse nullum est dubium (cff. quae p. 74 diximus). In iis autem tempus computatur inde a creato mundo et per annos Sabbathicos; quae computandi ratio in Sacro Codice non occurrit, neque in Talmude, quantum certe mihi constat usurpatur. Contra Judaei Palaestinenses tempus

(1) Cff. quae Laurencius et Lückius hac de re monuerunt; non opus duximus repetere, quae alii recte jam animadverterunt, et quibus, si opus esset, fortasse plura addi possent; hoc unum monere contenti, auctorem ipsum (C. XIII. 52 V. Lat.) aperte docere, Messiam hominibus non apparere, nisi ultimi judicii tempore: roganti enim Ezrae, quare vir ille e medio mari adscenderit, respondet Angelus, »sicut non potes haec vel »scrutinari vel scire, quae sunt in profundo maris, sic non poterit quis »super terram videre filium meum sqq. Ex quibus patet, auctorem adhuc »exspectare Messiam, ideoque hunc, secundum eius sententiam, nondum apparuisse.

computabant inde ab imperio Seleucidarum: in Aegypto vero Judaei tempus computabant inde a creato mundo (1), huiusque computandi rationis causâ quaerenda videtur in usu Versionis Graecae LXX (2). Si igitur auctor in Aegypto vixerit, facile intelligimus, quare Aegyptiacam temporis computandi rationem secutus sit. Ob eandem causam manifestum fit, quî factum, ut Judaeus ille homo recentiora Reipublicae Romanae tempora accuratius cognovisse videatur, quam in Judaeo Palaestinensi exspectares. Tempore enim Cleopatrae Aegyptus theatrum erat, in quo principes Romani, Pompeius aliique agebant, ideoque de ipsâ urbe Româ iisque, quae ibi fiebant, multo certior esse ille poterat, qui in Aegypto vivebat, quam qui, in Palaestinâ degens, unà cum popularibus suis, Romanos atque omne quod Romanum erat, summo prosequebatur odio. Contentiones enim, quae ultimo Reipublicae Romanae tempore in ipsâ urbe Româ agebantur, continuo vim suam exserebant in Aegyptum; Palaestina autem, quis demum cunque Romae summum exerceret dominium, a Procuratoribus Romanis gubernabatur. Sic facile etiam intelligimus, quî factum, ut Clemens Alexandrinus secundo p. C. n. seculo hunc librum cognoverit, quem fortasse nunquam vidisset, si in Palaestinâ fuisset conscriptus. Eadem sententia videtur aliâ insuper causâ confirmari. Non enim improbabile est, capita XV et XVI, quae in Vers. Lat. addita sunt, in Aegypto confecta esse, cf. XV. 10 sqq.; unde igitur apparet, librum nostrum in hac regione a plurimis lectum fuisse et magni habitum.

---

(1) Cf. CLEMENTIS ALEX. *Strom* I. p. 338. Sylb.

(2) Vide quae monuit Lückius l. l. p. 97. not. 1.

Nec immerito Lückius (1) observavit, opiniones auctoris nostri de Messiâ, atque animarum conditione post mortem, quum a priorum Christianorum opinionibus haud prorsus deflectant, rite intelligi posse, si ponamus, eum Hellenistam fuisse, a quo talis disserendi ratio, qualis in libro nostro observatur, facile exspectari posset.

Patuit igitur, librum Ezrae a Judaeo, uti probabile est, Aegyptiaco confectum esse: restat tandem, ut videamus, quo tempore conscriptus sit.

Necesse est, ut auctor vixerit eo tempore, quo ultimi reges, quos capitibus et subalaribus Aquilae repraesentavit, regnarunt; post hos enim ultimum judicium, secundum ipsius sententiam, affuturum erat: ipse autem (II. 59. V. Aeth.) dixit, se a mundi fine proxime abesse. Si igitur nobis manifestum fiat, quosnam reges spectaverit, simul certi erimus de aetate, quâ liber hicce, Ezrae auctori adscriptus, sit confectus. Conemur itaque visionem Aquilae, C. XI et XII occurrentem, explicare: nam ex unâ hac satis probabilis de aetate libri sententia elici potest.

»Aquilam," uti habetur in Vers. Lat. XII. 11 »quam »vidisti ascendentem de mari, hoc est regnum" (quartum, sicuti in utrâque Vers. Orient. recte additur), »quod »visum est in visione Danieli fratri tuo." Non igitur opus est, ut longam disquisitionem de regno per Aquilam significato instituamus. Omnes enim Interpretes consentiunt, auctorem per Aquilam significasse regnum Romanum: atque hoc non tantum constat e symbolo Aquilae, regnum hocce egregie repraesentante, sed inprimis e recentiorum Judaeorum sententiâ, qui per quartum illud

---

(1) l. l. p. 108.

regnum, in Danielis libri C. VII. 7 sqq. commemoratum, ubi ut quartum animal describitur, regnum Romanum significatum fuisse putarunt (1). Imago tamen, in Ezrae libro occurrens, valde discrepat ab eâ, quae in Danielis libri l. l. memoratur. Aquila enim 12 alis, 8 subalaribus et 3 capitibus instructa, sicuti in Ezrae libro legitur, ibi describitur tanquam animal undecim cornubus praeditum. Causam autem, ob quam auctor noster aliam proposuit imaginem, ipse reddit. Legitur enim C. XII. 12 V. Lat. »Sed non est illi (Da»nieli) interpretatum (regnum hocce quartum), quo»modo (2) ego nunc tibi interpretor." Idcirco, ut accuratius regnum hocce describeret, auctor aliam imaginem proposuit. Ex eo autem, quod pro numero 11, in Danielis libro occurrente, in Ezrae libro habentur numeri 12 et 11 (8 + 3) patet, auctorem nostrum putasse, numerum 11 regum non sufficere ad omnes illos significandos, qui in urbe Româ summum habuerint imperium. Hos tamen omnes ab initio inde urbis ad sua usque tempora significare voluit; uti ex ipsius verbis luculenter patet: nam (C. XI. 7 sqq. V. Aeth. C. XI. 5 sqq. V. Lat.) ait »Et haecce Aquila volabat pennis »suis, ut dominaretur terram eosque, qui in terra ha»bitant; et vidi, subjecta fuisse ei omnia, quae sub »coelo (sunt), et nemo ei contradicebat, ne unus qui»dem ex iis, qui creati sunt in terra. Et postea sur»rexit illa Aquila et stetit unguibus suis et clamavit voce »magnâ dixitque pennis suis. Ne omnes vos vigiletis; »dormito unaquaeque e vobis loco suo, suoque tempore

---

(1) Vide Cl. LENGERKE, *das Buch Daniel*, p. 315, 316.

(2) Perverse ibi legitur *quoniam*, vide quae ad h. l. monuimus.

»quaeque vigilabit, et capita in novissimo (tempore) ma-»gna fient." Auctor nimirum regnum Romanum sibi proposuit sub imagine Aquilae, quae, antequam aliquo loco sese reponat (i. e. antequam regnum Romanum condatur), super totam terram volat; quod procul dubio significat, Aquilae totam terram subjectam fore. Visione igitur propheticâ per anticipationem regno Romano nondum condito auctoritatem attribuit, quâ recentioribus demum temporibus insigniendum erat. Dein Aquila unguibus suis surrexit (i. e. regnum Romanum conditur), et alae (i. e. reges) regnare incipiunt.

In explicandâ Visione hacce maximi momenti est indagare, causam, ob quam auctor reges principesque Romanos sub imagine 12 alarum 8 subalarium et 3 capitum proposuerit. Vidimus supra, auctorem imitatum esse visionem, Dan. VII. 7 sqq. commemoratam. Numerus igitur 11, ibi occurrens, non poterat non veris simus esse, quippe a Daniele prophetâ traditus. Quamvis autem auctor putaret, sibi concessum esse, regnum hocce Romanum accuratius significare et describere, eundem tamen numerum in visione sua servare debuit; sed quo melius tres ultimos reges a praecedentibus distingueret (hi 3 enim reges, uti habetur in Vers. Aeth. XII. 29 sqq. »innovabunt multa et vexabunt terram »eosque, qui in eâ habitant, multo timore et supra »omnes, qui fuerunt ante hos; et propter hoc vocati »sunt capita Aquilae"), numerum 11 Danielicum divisit in 8 et 3, haec capita, illas subalares dicens. In Vers. Aeth. clarius significatur, per numeros 8 et 3 intelligendum esse numerum 11 Danielicum: pro 8 enim subalaribus ibi occurrunt 8 capita, ita ut 11 cornua, Dan. l. l. memorata, jam repraesententur per 11

alias, sed omnes eiusdem generis, figuras, nimirum capita. Sic igitur patet, quare auctor Aquilam proposuerit, 8 subalaribus et 3 capitibus praeditam. Quaeritur tandem, unde 12 alas sumserit. Nec difficilis est quaestio. Dicit, ab utrâque parte fuisse 6 alas (1) et ita veram Aquilae formam descripsit, nam in Aquila (2) »rectrices alarum pennae utrimque *senae*" (sunt). Hunc igitur numerum 12 numero 11 Danielico praeposuit, quia bene noverat, non omnes, qui ab initio inde ad sua usque tempora Romae dominatum tenuerant, per numerum 11 significari posse; illorum enim numerus hunc longe superat, et tamen per 11 cornua in Danielis libro memorata non poterant non significari 11 reges, qui ultimis temporibus Romae essent regnaturi.

Cognitâ igitur origine numerorum 12, 8 et 3, restat, ut indagemus, quosnam reges per 12 alas, 8 subalares et 3 capita auctor intellexerit: nam per membra illa reges esse intelligendos ipse docet C. XII. 14 sqq. V. Lat. Nec miretur quisquam, auctorem omnes eos, qui Romae dominati sint, reges vocare; Orientalis homo quemque, dominium exercentem, *regem* (מֶלֶךְ) appellare solet; res enim publica in Oriente incognita est.

Supra vidimus, auctorem describere velle regnum Romanum ab initio eius inde. Idcirco duo casus cogitari possunt: vel enim describere voluit regnum hocce a primis inde eius initiis, i. e. a primo Rege Romulo, vel imperium Romanum unice spectavit sub Julio Caesare, primo Imperatore. Si hanc sententiam amplectamur, liber scribi

---

(1) Vide XI. 12 et 20 V. Lat., et quae ad h. l. monuimus.

(2) Vide ALDROVANDUM, in *Ornithologia*, P. I. l. II. p. 112.

nequivit ante finem seculi 2ⁱ p. C. n., atque statuere debemus, auctorem putasse, inde a creatis Imperatoribus novum ortum esse regnum Romanum: quae sententia oriri potuit, vel ex antiquioris historiae Romanae ignorantiâ, in qua auctor versaretur, vel ex aliis causis. Sed quominus huic sententiae assentiamus, plurima obstant. Primum e loco Clementis Alexandrini (Stromat. libr. 3. coll. c. V. 35 V. Lat.) patet, librum, Ezrae auctori adscriptum, diu ante initium seculi 3ⁱ p. C. n. scriptum fuisse, nam hic eum citat tanquam a vero Ezra prophetâ compositum: longum ergo tempus praeterlabi debuit a libro composito usque ad Clementem, ita ut hic opinari potuerit, librum non esse suppositum, sed genuinum. Deinde si liber eo tempore esset compositus, ad Aethiopes procul dubio haud pervenisset, neque Christiani tale opus propheticum, si vel cognovissent, ad hos una cum Cod. Sacr. adduxissent. Porro veri non est simile, librum Ezrae tantam acquisiturum fuisse auctoritatem, quantâ eum gaudere animadvertimus in Clementis Alexandrini et Ambrosii scriptis. Tum seculo 2° nulli fuerunt Imperatores, qui per 3 illa capita repraesentati fuisse potuerunt. Mirum insuper videtur, quare auctor nullam mentionem fecerit multiplicis crudelitatis, a plurimis Imperatoribus, Tiberio, Caligula, Nerone aliisque commissae. Denique auctor Iudaeus atro carbone depingere debuisset Vespasianum, templi Hierosolymitani destructorem. Sed ultimi demum principes, qui auctoris aetati propiores fuerunt, accuratius describuntur tanquam omnium pessimi: priores fere solummodo affuisse memorantur; nec ullum libro inest vestigium Imperatoris cuiusdam, qui aedes Sacras Judaeorum destruxerit, neque

templum Hierosolymitanum aliquo modo indicatur in hac visione Aquilae.

Haec igitur satis superque docent, auctorem vivere haud potuisse versus finem sec. 2i vel ineunte seculo 3°, sed diu ante hoc tempus librum nostrum esse compositum. Inde vero sequitur, auctorem haud significasse Imperatores Romanos, inde a Julio Caesare, sed tempora eum spectasse hoc anteriora. Necesse igitur est, respexerit regnum Romanum inde a primis eius initiis, i. e. a primo Rege Romulo.

Quod cum ita sit, videamus, quosnam reges auctor nominatim significaverit. Sed antequam pergamus, opus est, ut dubium aliquod solvamus, quod nostrae sententiae fortassis opponeretur. Postquam Aquila unguibus surrexit, vox exibat e medio corpore Aquilae; haec autem vox significat contentiones, quae in hocce regno orituræ essent, eaeque tam vehementes, ut interitui prope esset regnum, attamen nondum caderet. Exinde fortasse quis conjiceret, indicari contentiones, quae obtinuerunt, antequam ipsi reges imperium exercerent, nam memorantur illae, antequam de regibus sermo est; et secundum eam sententiam non possunt non significari contentiones vehementissimae, quae Caesaris imperium mox antecesserunt: contentiones enim, quae ante Romulum obtinuerunt, intelligi nequeunt, quia ante hunc non erat Roma. Verum ex interpretatione Angeli (C. XII.) discimus, non intelligi contentiones, quae ipsos reges antecesserunt, quamvis (C. XI.) ante hos memorentur, sed tales, quae, regno jam constituto, tempore praeterlabente, orirentur: nam C. XII. 21 V. Aeth. hae contentiones explicantur, postquam in praecedentibus 12 alae jam explicatae sunt. Itaque

non urgenda est contentionum commemoratio *ante* regum dominium, sed auctor, qui visione propheticâ summam regni Romani auctoritatem vidit, antequam ullam regum mentionem faceret, similiter contentiones visione hacce suâ anticipavit.

Jam videamus, quinam reges per 12 alas intelligendi sint. Qui putaret, auctorem per 12 alas totidem reges nominatim significare voluisse, in eundem incideret errorem, in quem lapsus est Laurencius. Verum supra monuimus, auctorem numerum 12 alarum sumsisse, quandoquidem Aquila 12 pennis alarum rectricibus instructa est: inde igitur sequitur, auctorem per 12 alas significare voluisse magnum sed non definitum regum numerum, qui ab initio inde Romae regnarunt; et quum ei cognitum esset, secundum Regem diutius, quam caeteros, regnasse, non poterat non hoc simul notare. Caeterum de prioribus Regibus Consulibusque regni Romani nihil aliud ei cognitum fuit, nisi quod nonnulli fuerint, qui regnare conati sunt, attamen imperio non sunt gavisi.

Idem patet ex iis, quae de 8 subalaribus traduntur. Monuimus supra, auctorem 8 subalares memorasse, ut hae una cum 3 capitibus numerum 11, in Danielis libro obvium, efficerent. Inde patet, 8 subalares non sumtas esse, quia auctor 8 reges nominatim significare voluerit, sed quia debere numerum 11, quippe in Danielis prophetae libro occurrentem, referre. Attamen horum 11 regum non omnes et singuli nominatim ei cogniti erant. Ex 8 enim subalaribus duas priores, una cum 12 alis, quae mox ante has regnarunt, periisse ait. Patet igitur auctorem nostrum ex omnibus regibus Romanis 9 solummodo ultimos nomina-

tim cognovisse, quos accuratius quam caeteros de-scripsit.

Ex iis, quae de 12 alis et 2 prioribus subalaribus auctor tradidit, non patet, eum jam accessisse ad Imperatorum aetatem; nec, quae de caeteris 6 subalaribus et 3 capitibus memoravit cum Imperatorum historiâ, conveniunt. Cogimur ergo tempus intelligere Imperatorum aetate anterius. Ut vero cognoscamus, quosnam per 6 reliquas subalares et 3 capita intellexerit, initium faciendum erit ab interpretatione 3 capitum, quia reges per haec significatos accuratius quam caeteros descripsit.

Neminis historia melius convenit cum iis, quae de capite medio majori traddit, quam Syllae. Hic enim in Republicâ Romanâ multa innovavit, terramque et eius habitatores valde vexavit, magis quam ii, qui ante hunc fuerunt; imo, quod Angelus ait, C. XII. 26 V. Lat. eum in lecto suo mortuum esse, sed tormentis oppressum, plane convenit cum traditione de morte Syllae. Haec sententia insuper corroboratur interpretatione reliquorum 2 capitum: nam, quae de his memorantur, satis apte conveniunt cum Pompeji et Caesaris historiâ. Pompejus enim, una cum Syllâ, factionem Marianam delevit, cum hic Marium juniorem, ille vero Carbonem, oppugnaverit. Probabile igitur est, auctorem, memorantem caput medium majus duo altera capita sibi adsciscens et 2 subalares devorans, significasse bellum, quod Sylla contra factionem Marianam gessit. Nostrae sententiae obstat, caput dextrum, i. e. Caesarem, eo tempore, quo bellum hocce gerebatur, adhuc juvenem fuisse, neque Syllae opitulatum esse in eo gerundo. Attamen ex iis, quae porro de

capite dextro auctor tradidit, veri est simillimum, per hoc intelligendum esse Caesarem. Consequitur igitur, auctorem in aetate Caesaris definiendâ errasse, qui error facile oriri potuit apud Judaeum extra Italiam viventem: posteriori enim isto tempore Caesar fecit cum Pompejo; unde fortasse derivandum est, quod auctor in mente suâ Caesarem semper cum Pompejo conjunxerit; quo factum, ut, cum Pompejum auxiliatum esse Syllae narraret, Caesarem etiam huic bello, contra factionem Marianam gesto, affuisse putaverit.

Si igitur veri sit simillimum, per caput medium majus intelligendum esse Syllam, non difficile est inventu, quosnam per 4 praecedentes subalares intelligendos habeamus. Duae subalares, quas caput medium devoravit, probabiliter sunt Marius junior et Carbo, uti jam monuimus: uterque enim, cum consilium caperet, ut regnaret, brevi post a Sylla et Pompejo devictus est. Duae igitur subalares, quae has antecesserunt, procul dubio sunt Marius pater et Cinna. Ille enim Romae haud diu summum imperium tenuit, hic vero citius, quam ille interiit.

Monuimus jam, per caput dextrum et sinistrum intelligendum esse Caesarem et Pompejum. Auctor enim memorat, caput sinistrum a dextro capite esse devoratum, et, quam egregie hoc conveniat cum nece Pompeji a Caesare devicti, quisque videt; nec minus convenit caedes illata Caesari cum morte, qua caput dextrum interiisse ait.

Restat tandem, ut significemus, quosnam auctor intellexisse videatur per 2 ultimas subalares. Causa, ob quam has sub praesidio capitis dextri sese posuisse ait, quaerenda videtur in eo, quod in Danielis libro

de 11mo cornu traditur. Hoc enim ibi legitur tria alia cornua sibi subjecisse; idcirco de capite dextro simile quid narrare debuit auctor noster: nam per caput dextrum eum significasse cornu 11^{mum} in Danielis libro obvium, satis certum est (1).

Tres igitur reges capiti dextro subjecti fuerunt, nempe 2 subalares et caput sinistrum: illae sponte sua sese sub eius praesidio posuerunt, hoc ab eo devictum fuit. Lubens haecce 2 subalarium subjectio procul dubio significat, eas regnare non ausas esse, regnante etiamnum capite dextro: simul vero atque hoc evanuerit, regnare incipiunt. Per has ergo subalares probabiliter intelligendi sunt Antonius et Lepidus, qui statim post Caesaris mortem summae rerum sibi potiri conati sunt. Triumviratus Antonii, Lepidi et Octaviani auctor noster nullam habuisse videtur cognitionem.

Inde consequitur librum nostrum paulo post Caesaris necem conscriptum fuisse. Duarum enim subalarium regnum erat exile et turbationis plenum, et his exstinctis regnum Romanum casurum erat. Auctor ergo vixit antequam hae subalares (i. e. Antonius et Lepidus) interissent et post capitis dextri (i. e. Caesaris) caedem. Annus autem, quo liber noster est compositus, accurate definiri nequit; satis est, probabilem libri Ezrae

---

(1) Cornu enim 11^{mum} ultimo loco regnare in Danielis libro memoratur, et post huius imperium mundi finem instare; similiter regnante capite dextro Leo i. e. Dei unctus prodit, mundique finem instare annuntiat. Discrimen vero, quod obtinet inter 3 reges, qui subjecti fuerunt regi, per 11^{mum} cornu repraesentato, et eos, qui rege, capite dextro significato, minores fuerunt, repetendum est e majori scientia ultimorum temporum, quam auctor libri Ezrae prae Daniele a Deo sibi concessam esse jactat: cf. XII. 12 V. Lat.

aetatem significasse. Probabilem dico, quia certum judicium proferre de quaestione tam obscurâ, audacius mihi videtur quam aptius. Visionem Aquilae explicare conatus sum, secundum id, quod mihi veri simillimum videtur; si alia inveniatur interpretatio, meâ veri similior, lubentissime eam amplectar.

T A N T U M.

THESES.

I.

Auctor libri Ezrae apocryphi, vulgo 4i dicti, videtur fuisse Judaeus, qui paulo ante aerae Christianae initium in Aegypto vixerit.

II.

Illi non audiendi videntur, qui semper lectionem כתיב tuentur, nec magis alii probandi, qui, nullo non loco, ei praeferendam censent lectionem קרי. Singulis potius locis, ubi aliud quid in textu reliquerunt Masorethae, aliud in margine legendum commendarunt, in utram partem velut judicii lancem inclinent critica momenta, diligenter examinandum est.

III.

Etsi, quo tempore Christus inter homines vivebat, non amplius in vulgari usu erat *germana* lingua *Hebraea*, non tamen in eam desuetudinem istâ aetate illa abierat, ut a doctioribus etiam Judaeis eius studium negligeretur.

IV.

Jure negari nequit, Fl. Josephum, in conscribenda Archaeologiâ Judaicâ, textum V. T. Hebraeum consuluisse.

V.

Quamvis eximia sint eiusdem *Flavii* merita, nonnunquam tamen, nimio sui populi extollendi studio abreptum, eum a vero aberrasse putamus.

VI.

Idem, quo diutius exteras inter gentes vixit, et quo familiarius doctis nonnullis Graecorum Romanorumque viris usus est, eo majorem habuit opportunitatem Judaicae historiae sic, ut exterorum potissimum usus requireret, conscribendae.

VII.

Haec tamen cum doctis exteris consuetudo effecit, ut Josephus in scribendâ populi sui historiâ plerumque orationis suavitati consuluerit, neglectâ aliquando veritate historicae.

VIII.

In Judicum libro inter alios hi loci emendentur: II. 3 pro לְצִדִּים lege לְצָרִים; III. 22 verba וַיֵּצֵא הַפַּרְשְׁדֹנָה utpote glossa, e textu sunt ejicienda; V. 27 שָׁכָב e textu ejice quoque; uti et X. 18 vocabula שָׂרֵי גִלְעָד Verum XII. 9 quae ante verbum שִׁלַּח excidisse videntur vocabula וּשְׁלֹשִׁים בָּנוֹת, restituantur.

IX.

Faciendum cum Interpretibus, qui formulas מֵסִיךְ את רגליו Jud. III. 24 et הסךְ את רגליו 1 Sam. XXIV. 4 sic acceperunt, ut *tegere pedes* significet *dormire*.

X.

In Critica Veteris Testamenti, majorem non raro auctoritatem Versiones habent antiquae, quam Codices.

XI.

In exercendâ Criticâ Novi Testamenti non numerus testium pro hac illave lectione tantum spectandus est, sed inprimis ponderanda eorum auctoritas.

XII.

Haud pauca in Novo Foedere de expiatoriâ Christi morte traduntur, quae non commode aliter explicari possunt, quam de *morte* vere *vicaria*.

XIII.

Rom. XI. 25 Paulus Christianos e Gentilibus alloqui videtur, eos *ἀδελφοὺς* vocans.

XIV.

Rom. XI. 28 post vocabula *ἐχθροό* et *ἀγαπητοό* subintelligendum est *Θεῷ*.

XV.

Oratoris sacri non tam est, ut placere studeat auditoribus, quam ut hi sibi displiceant: id quod egregie observasse summum Massillonum patet ex notissimis illis Ludovici XIV ad eum verbis: »*Mon père*, »(*inquiebat*) *j'ai entendu plusieurs grands orateurs dans ma Cha*»*pelle*, *j'en ai été fort content: pour vous*, *toutes les fois*, *que je* »*vous ai entendu*, *j'ai été tres-mécontent de moi-même.*"

XVI.

Grammatici et commentatores Arabici, etsi subinde subtiliter magis quam vere disputaverint, vel sic tamen eorum scripta necessaria sunt ad interiorem linguae Arabicae cognitionem. Discrimen tamen faciendum est inter Commentatores Arabicos, qui in Perside vixerunt, et eos, qui ex ipsà Arabiâ originem duxerunt: hi enim illis omnino praeferendi videntur.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 12 l. 11, 16, 23, 26, 29 dele vocem *per* et l. 21 dele *per vocem.*
" 13 l. 14 dele vocem *per.*
" 30 l. 12 quae verba lege quam particulam
" — l. 4 a. fin. Mss. lege Ms.
" 43 l. 4 a. fin. dele vocem *per.*
" 58 l. 19 voluit lege voluerit
" 69 l. 7 ὑπο σοῦ leg. ὑφ' αὑτοῦ
" 80 l. 10 post 18; adde 48;
" — l. 16 post 30; adde 32;
" 81 l. 2 post 58; adde ሞእኅበሉቄ፡ et ማእኅበለቂ፡ pro ማእኅበሉቂ፡ XI. 33; ማንገል፡ pro ሞንገል፡ XI. 39;
" — l. 12 post 56; adde ትኅዝ፡ pro ትኅዝ፡ XIII. 58;
" — l. 14 post 36; adde ንጠእት፡ et
" — l. 15 post 42; adde XIII. 41;
" — l. 19 post እንበሪ፡ adde XI. 41;
" — l. 24 post 53; adde አስትዩለዉ፡ pro አስትዩለዉ፡ VIII. 69; IX. 19; XIV. 26;
" — l. 29 post 34; adde እንስሰ፡ pro እንስሪ፡ IV. 61; እንግዮሆ፡ pro እንግዮሞ፡ XIV. 42;
" — l. ult. post 7. adde ኽረማት፡ pro ኽሬማት፡ XII. 24;
" 82 l. 12 post 70; adde ዩንገል፡ pro ዩኘገል፡ X. 33;
" — l. 16 post Hoffmanni); adde ጸሐሮ፡ pro ጸሑሮ፡ p. 166 l. 7;
" 87 l. 7 dependeat. lege pendeat.
" — l. 9 verba lege verba:
" — l. 7 pronti lege sicuti
" 94 l. 20 dependet lege pendet.
" 117 l. 13 *pro iis* legitur lege legitur *pro iis*
" 119 l. 7 dependet lege pendet

16439